P. VIRGILII MARONIS BVCOLICA,

P. RAMI, ELOQVENTIAE
& philoſophiæ profeſſoris Regij,
prælectionibus expoſita: quibus
poëtæ vita præpoſita eſt.

AD
CAROLVM LOTHARINGVM
CARDINALEM.

EDITIO SECVNDA.

PARISIIS,
Apud Andream Wechelum, ſub Pegaſo, in
vico Bellouaco: *Anno Salutis*
1558.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

PRIVILEGII SENTENTIA.

CAutum eſt authoritate Regia, nequis alius præter Andream Wechelum, iuratum in alma Pariſienſi Academia Librarium, hæc P. Virgilij Maronis Bucolica, P. Rami, eloquentiæ & philoſophiæ profeſſoris Regij, prælectionibus expoſita, nunc denuo recognita & aucta, antè decennium ab æditione proximum in hoc Francorum regno imprimat, néue alibi impreſſos vendat. Ac ſi Regij diplomatis ſententia, operis initio præfigatur, finíue poſtponatur, vt omnibus clarum, notum, indictum habeatur. Secùs qui faxit, & libris ipſis, & mille librarum Pariſ. multâ pœnas pendito. Datum Rhemis, Regio conſenſu ſubſignatum, Dò. Villamoro ſupplicum libellorum magiſtro præſente. 3. Id. Iun. 1557.

P. VIRGILII MARONIS VITA, A PETRO RAMO EX variis authoribus deſcripta.

AD CAROLVM LOTHARINGVM CARDINALEM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PVBLII Virgilij Maronis opera (Mecœnas) bonis & diſcendi cupidis adoleſcentibus chariſsima debent eſſe, & ad imitādum imprimis propoſita. Itaque tantū poëtam à tam multis támque eruditis hominibus certatim explicatum, diligentia quoque noſtra explicandum putaui. Et ſicut in tanto interpretum numero recentiores, noui ſemper aliquid afferre conati ſunt: ſic ego poſt illos pro mea etiam mediocritate certè clariorem & illuſtriorem rerum intelligentiam efficere tentaui, nonnullis partim reiectis, quæ minùs idonea, partim additis, quæ magis apta propriáque videtentur: omnibus autem modo & ratione pau-

lò euidentiore traditis, vt ſententiarum notitia pueris facilior eſſet, & via plenior ad Virgilij virtutes cognoſcendum & amandum. Et quidem quò gratius initium lætiúſque faciamus, vnde potiùs meliúſve quàm ab authoris vita auſpicemur? Sic enim virtutũ cauſsis perſpectis, fructus earum laudéſque pleniùs & vberiùs intelligentur. Naturam igitur primùm, deinde doctrinam, tum mores, poſtremò ex iis authoritatem conſecutam perſpiciamus. In natura, patriam, parentes, totúmque animi & corporis habitum videamus. Patria, vicus obſcurus fuit, Andes nomine, à Gallis tamẽ Andibus ſecutis, Bellouefum, quondam percelebris, prope Mantuam, vnde Andinus vates à Silio, & Andiades muſæ à quibuſdam nominatæ: nunc verò Pictole dicitur: ne quis loci nobilitatem, ingeniorum nobiliũ perpetuam matrem exiſtimet eſſe. nec propterea deſperet, ſi loco ignobili & obſcuro natus ſit. Rectè nanque, vt apud Ciceronẽ eſt, Themiſtoclem ferunt Seryphio cuidam in iurgio reſpõdiſſe, cùm ille dixiſſet, non eum ſua, ſed patriæ gloria ſplendorem aſſecutum. Nec hercle, inquit, ſi ego Seryphius eſſem, ignobilis eſſem: nec ſi tu Atheniẽſis eſſes, clarus vnquam fuiſſes. Parentes, patriâ etiam obſcuriores fuêre. Maronem patrem quidam figulum, plures Magi cuiuſdam viatoris initio mercenarium, mox ob induſtriam, generum fuiſſe tradiderunt. quem

cùm

cùm agriculturæ reíque ruſticæ & gregibus præfeciſſet ſocer, ſyluis coëmundis, & apibus curãdis peculiolum amplificauit. Mater Maia nomine. Maro diu vixit,& tãdem cæcus fuit: mater tamen viro videtur ſuperſtes fuiſſe, & alteri viro nupſiſſe, ex eóq; Proculum(de quo Donatus)Virgilij fratrem genuiſſe: niſi fortè vidua iam Maroni nupſerit. Quicquid ſit,ſatis cõſtat, Virgilij genus patriâ obſcurius & ignobilius fuiſſe: vt tantò magis miremur ignobilis & patriæ & generis tam nobilem partum extitiſſe, & quas vulgus magnorum hominũ & excellentium cauſſas præcipuas putat,cauſſas ſæpe nullas eſſe,verámque hominis nobilitatem,virtute cùm corporis,tum animi cõſtare,à fortuna vel loci,vel generis nihil admodũ pendêre. De animi natura nominatim nihil traditur,ſed tamen & doctrinam,& mores,& ex iis ſplendorem, præſagia tum per ſomnium matri,tum nato infanti,tum puerperij religioni diuinitus oblata ampliſsimè demonſtrarũt. Maia prægnans ſomniauit ſe enixam laureum ramum, quem contacta terra cõfeſtim cerneret coaluiſſe & excreuiſſe ilico in ſpeciem maturæ arboris,refertæ variis floribus, ac fructibus: id enim ſine dubio Apollinei & Phœbei partus,id eſt doctrinæ oſtentum fuit: *ſua* ſiquidem(vt noſter hic poëta cecinit) *laurea Phœbo:* & rurſus,

Phœbo ſua ſemper apud me

Munera ſunt lauri-

Sequenti ſomnium illud die, Maia cum marito rus propinquum petens, ex itinere diuertit, atque in ſubiecta foſſa partu leuata eſt, Cneo Pompeio Magno, & Marco Licinio Craſſo primùm Cõſulibus, quibus Cicero deſignatus Ædilis Verrem accuſauit his (inquã) Coſſ. & quidem Id. Octobris, vt lib. 12. Martialis oſtendit:

Maiæ Mercurium creaſtis Idus:
Auguſtis redit Idibus Dianæ:
Octobres Maro conſecrauit Idus.
Idus ſæpe colas & has & illas,
Qui magni celebras Maronis Idus.

Quo tempore ferunt infantem, vt eſt editus, non vagiſſe, ſed adeò miti vultu fuiſſe, vt haud dubiam ſpem proſperioris genituræ iam tum indicaret: imò verò mitiſſimos & æquiſſimos animi mores oſtenderet. Tertium religionis præſagium longè nobiliſſimum fuit, & futuræ authoritatis & gloriæ certiſſimum indicium. Siquidem virga populea pro more regionis in puerperiis eodem ſtatim loco depacta, ita breui coaluit, vt multò antè ſatas populos adæquarit: eáque arbor Virgilij ex eo dicta, atque conſecrata eſt, ſumma fœtarum religione, ſuſcipientium ibi, & ſoluentium vota: & Maroni nomen Virgilius inde fuit, vt Caluus illo verſu indicat:

Et vates, cui virga dedit memorabile nomen.

Alij

Alij tamen Virgilium à virginitate deriuāt, vnde & Parthenias dictus eſt: quomodo alij putant à verendo Vergilium: alij Vergilium à Vergiliis, quas Pleiadas Græci vocant: alij non nouo nomine, ſed patrio ſic appellatum cenſent, quia pater Virgilius diceretur. alij gemino ll, Virgillium nominant. Ergo & laureus ramus, & mitis vultus, & procera populus, doctrinam & mores & gloriam naturalibus ſignis demonſtrarūt. Corporis verò ſtatura grādis fuit, aquilinus color & ſubfuſcus, valetudo varia, ſtomachus debilis, caput infirmum & fluxioni ſanguinis obnoxium: appetitus cibi viníque minimus: quæ tamen corporis difficultates ac moleſtiæ animum bene natum nequaquam retardarunt, ſed eius virtutes excellentiores approbarunt. Atque hæc adhuc in natura memorantur, patria, parentes, animi corporíſque naturalis habitus: quibus tāquam fundamentis præclarè poſitis, virtutum ab iis orti fructus faciliùs cernentur: ſtudia itaque iam videamus. Ad decimum ſeptimum annū Cremonæ eruditus eſt, & Poëticam primis illis annis complexus eſt: extat enim eius adhuc pueri diſtichon in Baliſtam ludi magiſtrum, ob infamiā latrociniorū coopertū lapidibus:

Monte ſub hoc lapidum tegitur Baliſta ſepultus,
Nocte diéque tuum carpe viator iter.

Deinde opuſcula quædam conſcripſit. Culicem certè cùm eſſet annorum quindecim, di-

citur edidiſſe: cuius argumẽtum eiuſmodi eſt: Paſtor fatigatus æſtu cùm ſub arbore obdormiſſet, & ſerpẽs ad illum proreperet è palude, culex prouolauit, atque inter duo tempora aculeum paſtori infixit. at ille excitatus, continuò culicem contriuit, & conſpectum ſerpentem interemit, ac ſepulchrum hoc inſcripto diſticho fecit:

Parue culex, pecorum cuſtos tibi tale merenti
Funeris officium vitæ pro munere reddit.

Paulò tamen ſecùs hoc diſtichon in opuſculo ipſo legitur. Puerilis igitur ætas in eiuſmodi ſtudiis traducta eſt. Decimoſeptimo anno virilem togam ſumpſit, illis ipſis Conſulibus iterum, quibus natus erat: accidítque vt eo die Lucretius poëta decederet. Mediolanũ deinde & Neapolim ad maiores & celebriores ſcholas profectus, literis Græcis & Latinis ſummam operam dedit. Doctores eius Orbilius & Scribonius nominantur. In Græcis certè Parthenio Grammatico vſum eſſe Macrobius author eſt. Quantum verò profecerit in Grammaticis & Rhetoricis, declarant in eius operibus orationis puritas & ornatus: quin de actione nominatim ita Donatus: Pronunciauit (ait) maxima cum ſuauitate & miris lenociniis. Seneca tradidit Iulium Montanũ poëtam ſolitum dicere, vi ablaturum ſe quædam Virgilio, ſi & vocem poſſet & os & hypocriſin. Eoſdem enim verſus eo pronũciante, bene

ſonare:

ſonare:ſine illo,inareſcere quaſi mutos. Quod poſtea Martialis in ſuorum librorum furem vſurpauit:

Quem recitas,meus eſt(o Fidentine) libellus:
Sed malè cùm recitas,incipit eſſe tuus.

Cauſam tamen duntaxat vnam egit:& Meliſſus ait Virgilium ſermone tardiſſimum, & propè indocto ſimilem fuiſſe: quod tamen ad ſummam hominis modeſtiam (de qua poſtea) referendum eſt,non ad vllam ignorātiam: vel natura potiùs ab agendis cauſſis ad poëticam reuocatus eſt. Rectè nanque Horatius,

Naturam expellas furca,tamen vſque recurret.

Et Ouidius de re conſimili quarto Triſtium:

Sponte ſua carmen numeros veniebat ad aptos,
Et quod tentabam ſcribere,verſus erat.

Et illud eſt nimirum quod ait Seneca: Virgilium illa fœlicitas ingenij in oratione ſoluta reliquit. Maius in mathematicis & phyſicis eius ſtudium fuit: In aſtrologia maximè,quod ſecundo Georgico teſtatum eſt illis verſibus:

Me verò primùm dulces ante omnia muſæ
(Quarum ſacra fero ingenti perculſus amore)
Accipiant,cœlique vias & ſydera monſtrent:
Defectus ſolis varios,lunæque labores:
Vnde tremor terris,qua vi maria alta tumeſcant
Obicibus ruptis,rurſúſque in ſeipſa reſidant:
Quid tantùm Oceano properent ſe tingere ſoles
Hyberni,vel quæ tardis mora noctibus obſtet.

Sed & philoſophiæ nulla non modò pars,

ſed ne ſecta quidem ab eo videtur ignorata. Epicuream à Silone didicit, & ecloga ſexta celebrauit: Stoicas item, ſed imprimis Academicas ſentētias variè pro rerum natura adhibuit: ſed & medicinæ præcipuam operam nauauit. Atq; hæc tam multa tot artium doctrinarúmque ſtudia, conformandi poëtæ præcipua adiumenta fuerunt: rectéque Horatius in arte poëtica,

Scribendi rectè, ſapere eſt & principiū & fons:
Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ:
Verbáque prouiſam rem non inuita ſequentur.

Excelluit Homerus in Græcia: id non naturâ potiùs aſſecutus eſt, quàm magna & recondita variarum rerum doctrinâ, magnáque diligentia & induſtria: conſimilem in Italia laudem, & quidem conſimili cauſſa, Virgilius tulit. Præſtat vnus longè cæteris Franciæ noſtræ poëtis Frācici carminis vbertate quadam magnifica veréque Pindarica Petrus Ronſardus: nec præſtantiæ ſuæ fructum putabit vnquam à natura ſibi datū potiùs, quàm poëtis omniū generum, ſed Græcis maximè legendis & imitandis acquiſitum. Deniq; magnus poëta nemo naſcitur, ſed cognitione rerum vſúq; conformatur & abſoluitur. Sed pergamus, ſtudiáque Maronis & doctrinam perſequamur. Interim Pharſalico prælio (falſò enim Actiacum hîc Seruius putat) Brutus Caſsiúſque, ab Antonio & Octauio victi ſunt: victarum partium

agri Veteranis diuiſi: & quia non ſufficerent, Mantuani etiam (tantùm quia vicini eſſent) eandem calamitàtem ſunt experti. Virgilius igitur his artibus, quas dixi, informatus, Romam ſpe recuperandi patrimonij confugit. Primus ad fortunã introitus ex medicina veterinaria fuit, qua ſibi in aula Cęſaris, magiſtrũ equorũ conciliauit, cùm multis & variis morbis equos curaret: nam ille in mercedem ſingulis diebus panes Virgilio, vt vni ex ſtabulariis, dari iuſsit. Secundus gradus è mathematicis & philoſophia fuit ad ampliores opes. Interea ſiquidem à Crotoniatis pullus miræ pulchritudinis Cæſari dono miſſus eſt, qui omniũ iudicio ſpem portendebat virtutis & celeritatis immenſæ: Hunc cùm aſpexiſſet Maro, magiſtro ſtabuli natum eſſe ex morboſa equa prędixit, nec viribus valiturũ nec celeritate: ídque euentu approbatum eſt: Quod cùm ſtabuli magiſter Auguſto recitaſſet, duplicari ipſi in mercedem panes iuſsit. Cùm item ex Hiſpania Auguſto canes dono mitterentur, Virgilius quæ parentum natura fuiſſet, expoſuit, celeritatémque ſobolis futuram prædixit: quo cognito, Cæſar panes augeri iuſsit. Ita Virgilius veterinariæ auxilio primos panes, ſed ſecundos & tertios mathematicæ & philoſophicæ doctrinæ ſtudio ſibi parauit. Atque hi panes lautiorum mox epularum menſas ei parauêre: Dubitauit enim Cæſar, vtrùm Octauij

filius eſſet, an alterius: audierat enim (quod à Suetonio traditur) Acciam matrem, cùm ad ſolenne Apollinis ſacrum media nocte veniſſet, poſita in templo lectica, dum cæteræ matronæ dormirent, obdormiſſe, draconémque repentè irrepſiſſe ad eam, paulóque poſt egreſſum, illámque expergefactam, quaſi à concubitu mariti purificaſſe ſe, & ſtatim in corpore eius extitiſſe maculam veluti depicti draconis, nec potuiſſe vnquam eximi: adeò vt mox publicis balneis abſtinuerit. Auguſtum natum mēſe decimo, & ob hoc Apollinis filium exiſtimatum: & cœna δωδεκάθεος id Octauium credidiſſe teſtatur: in qua conuiuæ deorum deárúmque habitu diſcubuerunt, ipſe pro Apolline ornatus fuit. Cùm igitur Virgilius videretur hominum genus & parentes noſſe, quia equorum & canum genus & parentes noſſet, remotis omnibus arbitris, illum in interiorem partem domus vocat, & ſolum rogat, An ſciat quiſnam eſſet, & quam ad fortunandos homines facultatem haberet: Noui, inquit Maro, te Cæſarem eſſe, & fermè æquam cum diis immortalibus poteſtatem habere, vt quemuis fortunatum facias. Tum Cæſar: Eo animo ſum, vt ſi verum pro rogatu dixeris, beatum te fœlicémque reddam. Vtinam, ait Maro, interroganti tibi, vera dicere queam. Putant, inquit Cæſar, alij me natum Octauio: quidam ſuſpicantur alio patre me genitum. Maro itaque

ſubridens:

ſubridens: Si impunè, inquit, ac licenter quæ ſentio, loqui iubes, facilè dicam. affirmat Cæſar iureiurando, nullum eius dictum ægrè laturum, imò non niſi donatum ab eo diſceſſurum. Tum intentis oculis Cæſarem contuetur & contemplatur, tandémque ait: Faciliùs in cæteris animalibus, Cæſar, qualitates parẽtum à mathematicis & philoſophis cognoſci poſſunt: in homine nequaquam poſſunt: ſed de te coniecturam habeo ſimilem veri, vt quid exercuerit pater tuus, ſcire poſsim. Attentè expectabat Octauius quidnam diceret. At ille: Quantùm ego ré intelligere poſſum, piſtoris filius es. Obſtupuit Cæſar, & quonam id pacto fieri potuerit, animo voluebat: fortaſſe meminerat quod ab Antonio & Caſsio hoſtibus obiectum eſt (vt ait Suetonius) proauum maternum, Ariciæ piſtrinũ exercuiſſe. Interrumpens Virgilius: Audi (inquit) quo pacto id cõiicio: Cùm quædã enuntiarim prædixerímq;, quæ intelligi ſciríque non niſi ab hominibus eruditiſsimis ſummíſq; viris viderentur, princeps orbis iterum atque iterum panes in mercedem dari iuſsiſti: quod quidem, aut piſtoris, aut nati piſtore officium erat. Placuit Cæſari facetia: At deinceps (inquit Cæſar) non à piſtore, ſed à rege magnanimo dona feres: illúmque plurimi fecit & Pollioni commendauit, per quem poſtea Tranſpadanæ prouinciæ præfectum agros poëta præcipuè recuperauit:

nec iam Virgilius inter ſtabularios, ſed familiares & amicos Cæſaris habitus eſt. Atque illi tum fuit ætatis annus viceſimus octauus, aut nonus (varia enim hîc eſt Seruij in Bucolicis & Æneïde opinio) quo Virgilius paternis agris reſtitutus, multò etiam maioribus auctus, bene de ſe meritis gratiam referre inſtituit. Itaque Octauij imprimis, tum etiam Pollionis & Vari & Galli & Mecœnatis laudes meditari cœpit: res Romanas primò inchoauit, ſed offenſus materia & nominum aſperitate, ad Bucolica ſe contulit, eáque triennio perfecit ad imitationem Theocriti: tanto ſucceſſu, vt in ſcena quoque per cantores crebra pronunciatione recitarentur: Atque cùm Cicero verſus quoſdam audiſſet, & ſtatim acri iudicio intellexiſſet non communi vena editos, iuſſit ab initio totam eclogam recitari. quam cùm accuratè pernotaſſet, in fine ait,

-Magnæ ſpes altera Romæ.

quaſi ipſe linguæ latinæ ſpes prima fuiſſet, & Maro futurus eſſet ſecunda. quæ verba poſteà Æneïdi inſeruit. Sic enim duodecimo libro Æneïdos,

Hic pater Aeneas, Romanæ ſtirpis origo,
Et iuxtà Aſcanius, magnæ ſpes altera Romæ.

Hoc Donatus affirmat, ſed chronologia repugnat: quatuor enim aut quinq; annis anteà iam Cicero triumuirali proſcriptione perierat: veriſimilius eſt quod à Cornelio Tacito ſcribitur:

tur: tametſi de Bucolicis nominatim id non dicitur. Malo (ait) ſecurum & ſecretum Virgilij ſeceſſum, in quo tamen neque apud diuum Auguſtum gratia caruit, neque apud populum Romanum notitia. Teſtes Auguſti epiſtolæ: teſtis ipſe populus, qui auditis in theatro verſibus Virgilij, ſurrexit vniuerſus, & fortè præſentem ſpectantémque Virgilium veneratus eſt, velut Auguſtum. Georgica ſeptem annis præcipuè ad imitationem Heſiodi compoſita Mecœnati dicauit: quę dum ſcriberet, traditur quotidie meditatos manè verſus plurimos dictare ſolitus, ac per totum diem retractando, ad paucisſimos redigere: cùm non abſurdè diceret, carmen ſe vrſæ more párere, & lambẽdo demum effingere. Ea, reuerſo ab Actiaca victoria Auguſto, atque reficiendarum virium cauſſa Atellæ commoranti, continuum quatriduum legit, ſuſcipiente Mecœnate legendi vicem, quoties Virgilius interpellaretur vocis offenſione. Nouisſimè autẽ Æneïdem aggreſſus, annis vndecim ſcripſit. Argumentũ variũ ac multiplex eſt, & quaſi amborum Homeri carminũ inſtar: præterea nominibus ac rebus Græcis Latiníſque commune, & in quo (quod maximè ſtudebat) Romanæ ſimul vrbis, & Auguſti origo contineretur. Eam ſoluta priùs oratione formatã digeſtámque, in duodecim libros particulatim componere inſtituit, vt quidam tradunt: alij putant eum, ſi diutius

vixiſſet, quatuor & viginti libros, vſque ad Auguſti tempora fuiſſe ſcripturum, atque alia quidem percuſurum. Auguſti verò res geſtas diligentiſsimè perſecuturum: quippe qui dum ſcriberet, ne quid impetum moraretur, quædã imperfecta reliquit: alia leuiſsimis verſibus ſcripſit, quos per iocum pro tigillis & tibicinibus interponi à ſe dicebat ad ſuſtinendũ opus, donec ſolidæ columnæ aduenirent. In hoc opere ſecutus eſt è Gręcis Parthemium, Piſandrum, Apollonium, & imprimis Homerum: è Latinis Qu. Ennium, Liuium Andronicum, Næuium, Lucretium. Æneïdos autem vixdum inchoatæ tanta extitit fama, vt Sextus Propertius non dubitarit ſic prædicare:

Cedite Romani ſcriptores, cedite Graij:
Neſcio quid maius naſcitur Iliade.

Auguſtus verò cùm iam fortè expeditione Cantabrica abeſſet, & ſupplicibus atq; minacibus per iocum literis efflagitaret, vt ſibi de Æneïde (vt ipſius verba ſunt) vel prima carminis hypographa, vel quodlibet colon mitteret, ita reſpõdit Virgilius: De Ænea quidem meo ſi mehercule iam dignum auribus tuis haberẽ, libenter mitterem: ſed tanta inchoata res, vt penè vitio mentis tantum opus ingreſſus eſſe videar, cùm præſertim, vt ſcis, alia quoque ſtudia, multóque potiora impertiar. Quibus verbis ſignificauit Virgilius, quantum vigiliarum poſuerit in hoc opere abſoluendo: Cæſari tamen

men multò pòſt perfecta demum materia, tres omnino libros recitauit, ſecundum, quartum, ſextum: ſed hunc pręcipuè Octauiæ gratia: quæ cùm recitationi intereſſet, ad illos de filio ſuo verſus,

Tu Marcellus eris-

defeciſſe dicitur: atque ægrè recreata, dena ſeſtertia pro ſingulis verſibus Virgilio dari iuſſit. Recitauit pluribus, ſed neque frequenter, & fermè illa, de quibus ambigebat, quò magis hominum iudicium experiretur. Erotem librariũ eius & libertum exactæ iam ſenectutis tradunt referre ſolitum, quondã in recitãdo, eum duos dimidiatos verſus compleſſe ex tempore:

Miſenum Aeolidem (adieciſſe) *quo non præſtantior alter:* item huic

AEre ciere viros (ſimili calore iactatum ſubiunxiſſe) *martémque accendere cantu:*

ſtatímque ſibi imperaſſe, vt vtrunque volumini aſcriberet. Atque hæc de ſtudiis eius déque doctrina memorantur, quibus mores, bonitatis & virtutis laude nihilo ſunt inferiores, temperantia, patientia, & in ſuo cuique diſtribuendo iuſtitia: temperantia nanque & ore & animo tãta fuit, vt Neapoli Parthenias, ἀπὸ τῆς παρθενίας, à virginitate vulgo diceretur: alij tamen putant ſic appellatum, quòd Partheno, id eſt, Neapoli viueret. Iactatum eſt enim eum cõſueuiſſe cum Plotia Hieria: ſed Aſconius Pædianus affirmat ipſum poſtea maioribus natu narrare ſolitum,

B

inuitatum quidem ſe à Varo ad cõmunionem mulieris, verùm pertinaciſſimè recuſaſſe. quin ſi quando Romæ (quo rariſſimè conueniebat) viſeretur in publico, ſectantes demonſtrantéſq; ſe, ſubterfugere ſolitum in proximum tectum, vt maior in virgine pudor optari vix potuerit. Patientiam verò animíque fortitudinem, non illam quidem militarem, ſed Philoſophicam & Socraticã, magnam habuit: in ferendis autem malis, demonſtrauit illud, quòd amiſsis rebus non deſperarit. Sed in refellendis conſtantiam ſequentia demonſtrabunt. Cùm quidam eius amicus, maledicta Cornificij & conuitia in ſe narraret: Quam putas (inquit) eſſe huiuſce maleuolentiæ cauſſam? nam neque vnquam Cornificium offendi, & cum amo. An (inquit ille) Heſiodi ſententiam non meminiſti? vbi ait fabrum fabro, & poëtam poëtæ inuidere? De malis (inquit Virgilius) græcus ille intellexit: nam boni, meliores & eruditiores amãt: Sed magna cum mea laude & gloria vindictam in manu habeo: maiore enim cura animum ad virtutem intendam: atque quò elegantior ego fiam, eò vehemẽtiùs inuidia rumpetur. De Batyllo poëta feſtiuius etiam illud, multóque gratius. Cùm enim Virgilius diſtichon illud,

(Nocte pluit tota, redeunt ſpectacula manè:
Diuiſum imperium cum Ioue Cæſar habet)

in Auguſti laudem feciſſet, ídque valuis Auguſti ſine authoris nomine affixiſſet, diu quæri-

tans

tans Auguſtus, cuiuſnam hi verſus eſſent, eorũ authorem non inueniebat. Batyllus verò quidã poëta mediocris, tacentibus aliis, ſibi arrogauit: quamobrem donatus honoratúſque à Cæſare fuit: quod æquo animo non ferens Virgilius, iiſdem valuis affixit quater hoc principium: (*Sic vos non vobis:*) Poſtulabat Auguſtus vt hi verſus complerentur: quod cùm fruſtra aliqui conati eſſent, Virgilius præpoſito hoc diſticho ſic abſoluit,

Hos ego verſiculos feci, tulit alter honores:
Sic vos non vobis nidificatis aues:
Sic vos non vobis vellera fertis oues:
Sic vos non vobis mellificatis apes:
Sic vos non vobis fertis aratra boues.

Quo cognito, Batyllus aliquandiu Romæ fabula fuit; Maro autem clarior & illuſtrior. Ergo vt in ferendis contumeliis & iniuriis ſemper, ſic in refellendis interdum magnanimus ac fortis fuit. Sed maximum illud & longè magnificentiſſimum de Filiſto. Erat autem Filiſtus orator & poëta mediocris, Auguſto familiaris, multiplici varióque ingenio, qui omnium omnia dicta reprehendere conabatur: non vt verum dignoſceret (quod Socrates facere conſueuit) ſed vt eruditior videretur. Hic Virgilium vbicunque deprehendiſſet, maledictis ſalibúſque vexabat: quare ille ſæpe tacitus diſcedebat, aut rubore perfuſus tacebat. Verùm cùm Auguſto audiente, elin-

guem illum diceret, & cauſſam etiã ſi linguam haberet, defendere non poſſe: Tace (inquit Virgilius) ô rabula: hæc mea taciturnitas, defenſorem cauſſarum mearum Auguſtũ fecit, & Mecœnatem: & ea tuba, cùm lubet, cano: cuius ſonus longiſsimè & iucundiſsimè exauditur: tu loquacitate tua non modò aures hominum, ſed muros obtundis. Auguſtus verò commotus, Filiſtum vultu graui coarguit. Tum Virgilius: Si tempus, Cæſar, tacendi hic ſciret, raro loqueretur: tacẽdum enim ſemper eſt, niſi cùm taciturnitas tibi noceat, aut oratio aliis proſit: nam qui contendit, & vtrùm ſua ſibi contentio profutura ſit, ignorat, ſtultis illum annumerandum ſapientes putant. Neque verò virtutem hanc, vita & factis ſolùm, ſed dictis etiam celebrauit: ſolitus enim erat dicere, Nullam virtutem cõmodiorem homini eſſe patiẽtia: ac nullam aſperam adeò eſſe fortunam, quam prudenter patiendo vir fortis non vincat: eámque ſententiam quinto Æneïdos inſerüit,

Nate dea, quò fata trahunt, retrahúntq;, ſequamur:
Quicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferẽdo eſt.

Atque hæc patientiæ certa ſunt argumenta. Liberalitas autem, & charitas (quæ ſumma tum naturæ, tum ſtudiorum, tum morũ iuſtitia eſt) in propinquos, adeóque bonos omnes eximia fuit. Poſſedit propè centies HS. habuítque Romę domum in Æſquilijs iuxta hortos Mecœnatis: quãquam ſeceſſu Campaniæ & Siciliæ plurimùm

rimùm vteretur. Quicquid ab Auguſto petiit, impetrauit: quædam etiam vltrò oblata recuſauit, vt bona cuiuſdam exulis. Atque iis facultatibus parentes, quos iam natu grandis amiſit, & ex iis patrem oculis captum, & duos fratres germanos, Silonem impuberem, & Flaccum, & ex altero patre Valerium Proculũ liberaliter iuuit & ornauit. Aſconius Pædianus refert benignũ cultorémque omnium bonorum atque eruditorũ fuiſſe, vſque adeò inuidia vacuũ & alienũ, vt alienis bene dictis aut ſcriptis nõ minùs gauderet, quàm ſuis: neminem vituperare, laudare bonos. Cùm is aliquando Ennium legeret, & interrogaretur quidnam ageret, reſpõdit ſe aurũ colligere è ſtercore Ennij: habet enim poëta ille egregias ſententias, ſed verbis non multùm ornatis. Denique ea humanitate fuit, vt quiuis, niſi fortè peruerſiſsimus, illum non ſolùm diligeret, ſed amaret. nihil proprij habere videbatur: eius bibliotheca non minùs omnibus doctis patebat, quàm ipſi: illúdque Euripidis frequenter vſurpabat, τὰ τῶν φίλων κοινὰ, res amicorũ communes. Quare æquales poëtas omnes ita ſibi coniunctos habuit, vt licet inter ſe inuidia flagrarent, illum tamen omnes colerent. Tantæ verò liberalitatis expertes, ne ſerui eius quidem fuere, ſed præcipuè Alexander & Cebes, quorũ vtrunque non ineruditum dimiſit: nam Alexãdrum grammaticum, Cebetem etiam poëtam fecit. Atque hic mitis ille ſine vagitu vultus, &

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

aſpectus nimirum fuit, qui tam modeſtos, tam conſtantes, tam æquabiles mores futuros oſtéderet. Quapropter tam magna doctrinę ſtudia, tam amabiles támque populares mores, incredibilem quandam apud Auguſti familiares, atque imprimis Auguſtum ipſum, autoritaté peperére: adeò vt iam ſummis de rebus Virgilius, non vt humanus poëta, ſed vt diuinus vates aliquis audiretur. Interroganti Mecœnati quid ſatietatem homini non afferret: Omnium rerum ſimilitudo (ait Virgilius) & copia, exceptâ ſapientiâ, ſatietatem affert. Quo pacto (idem rogauit) quis altam fœlicémque fortunam ſeruare poteſt? Si (reſpódit Maro) quantò honore ac diuitiis pręſtet, tantò liberalitate & iuſtitia pręſtantior eſſe contendat. Sed politicæ illæ quæſtiones Cæſaris, longè grauiorem hominis autoritatem oſtentant. Interrogáti Auguſto quo pacto ciuitas fœliciter gubernaretur: Si prudẽtiores (ait Virgilius) temonẽ tenuerint, & boni malis præponantur: Itaque optimi ſuos habeãt honores, cæteris iniuria nulla fiat. Platonicum hoc reſponſum eſt, ſed multò magis illud. Poſteaquam Auguſtus ſumma rerum potitus eſt, de reddenda Republica bis cogitauit, ait Suetonius: primò, poſt oppreſſum ſtatim Antonium: memor obiectum ſibi ab eo ſæpius, quaſi per ipſum ſtaret, ne redderetur: ac rurſus tædio diuturnæ valetudinis: Cùm etiam magiſtratibus ác Senatu domum accitis, ratiocinarium imperij

tradidit:

tradidit: ſed reputans & ſe priuatum non ſine periculo fore, & illam plurium arbitrio temerè committi, in retinenda perſeuerauit. In illarum igitur cogitationum deliberatione diuerſæ ſententiæ Agrippæ & Mecœnatis fuere: ille deponendam tyrannidem, hic retinendam variis argumentis ſuaſere. Quare Auguſti animus huc & illuc ferebatur. Rogauit itaque Maronem, an conferret homini priuato, ſe in ſua Republica tyrannum facere. tum ille: Omnibus ferme (inquit) Rempublicam occupantibus, moleſta ipſa tyrannis fuit, quia neceſſe erat propter odia ſubditorũ, in magna ſuſpicione magnóq; timore viuere: ſed ſi ciues iuſtũ aliquem ſcirét, quem amarent plurimùm, ciuitati id vtile eſſe, ſi in eo vno omnis poteſtas foret. Quare ſi iuſtitiam, quod modò facis, omnibus in rebus, ſine vlla ciuium offenſione atque iniuria coles, dominatus & tibi & orbi conducet: beneuolentiam enim omnium tibi conciliabis, téque tanquã deum venerabuntur & colent. Sic Virgilius imperatori orbis terrarum maximo, maximam & pulcherrimam imperandi formam probauit: & Auguſtus eo conſilio permotus, cum ſumma & ſua laude, & orbis ſalute diutiſſimè poſtea regnauit & imperauit: vt Auguſto Virgilius, tanquam bonus Genius, & cuſtos, diuinitus oblatus eſſe videatur. Tandẽ verò quinquageſimo ætatis anno, vt vltimam manum Æneïdi imponeret, ſtatuit in Græciã & Aſiam

ſecedere triennio, continuóque omnem operã emẽdationi dare, vt in reliqua vita tantùm philoſophiæ vacaret: ſed cùm aggreſſus iter, Athenis occurriſſet Auguſto ab oriente Romam reuertenti, vnà cum Cæſare redire deſtinauit: at cùm Megaram vicinum Athenis oppidum viſendi gratia peteret, in langorem incidit, quem non intermiſſa nauigatio auxit: ita vt grauior in dies tandem Brunduſium aduentarit. Itaque cùm gtauari morbo ſeſe ſentiret, ſcrinia ſępe & vehementer efflagitauit, crematurus Æneïda: quibus negatis, teſtamento comburi iuſſit, vt rem non emendatam, imperfectámque. Verùm Tucca & Varus monuerunt, id Auguſtum non permiſſurum: tũc eidem Varo, ſimul & Tuccæ ſcripta ſua legauit, ea conditione, ne quid ederent, quod à ſe nõ eſſet editum, & verſus etiam imperfectos, ſi qui eſſent, relinquerent: voluit etiam oſſa ſua Neapolin tranſferri, vbi diutiſſimè, & ſuauiſſimè vixerat: ac extrema valetudine hoc ipſe ſibi epitaphium fecit:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope, cecini paſcua, rura, duces.

Obiit igitur Brunduſij, decimo Calendas Octobris, Cneo Plancio, & Lucilio Conſulibus: eiúſque oſſa Neapolin, Auguſti iuſſu tranſlata ſunt, ſepultáq; via Puteolana, & eius ſepulchro epitaphium illud inſcriptum. Deinde Varus & Tucca Æneïden, vt petiuerat, Auguſti iuſſu emendarunt: nullius enim ſententiã, crematu

digna

digna Æneïs viſa eſt: qua de re vulgati ſunt illi verſus, qui referuntur ab antiquis grammaticis ad Auguſtum:

Ergone ſupremis potuit vox improba verbis
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes,
Magnáque doctiloqui morietur muſa Maronis?
Ah ſcelus indignum, ſoluetur littera diues.
Et poterunt ſpectare oculi? nec parcere honori
Flamma ſuo? dignúmque operis ſeruare decorem?
Noſter Apollo veta, muſæ prohibete latinæ:
Liber & alma Ceres ſuccurrite: veſter in armis
Miles erat, veſter docilis per rura colonus:
Nam docuit quid ver ageret, quid cogeret æſtas:
Quid daret autũnus, quid bruma nouiſsima ferret.
Arua reformauit, ſociauit vitibus vlmos:
Curauit pecudes. apibus ſua caſtra dicauit:
Hæc dedit vt pereant? ipſum, ſi dicere fas eſt.
Sed legum ſeruanda fides: ſuprema voluntas
Quod mandat, fieríque iubet, parêre neceſſe eſt.
Frangatur potiùs legum veneranda poteſtas,
Quàm tot congeſtos noctéſque diéſque labores,
Hauſerit vna dies, ſupremáque iuſſa parentis
Amittant vigilaſſe ſuum: ſi fortè furenti
Errauit in morte dolor, ſi lingua locuta eſt
Neſcio quid, titubante animo, non ſponte, ſed altis
Expugnata malis, odio langoris iniqui:
Si mens cæca fuit, iterum ſentire ruinas
Troia ſuas? iterum cogetur reddere voces?
Ardebit miſeræ poſt vulnera vulnus Eliſæ?
Hoc opus æternum ruet? & tot bella, tot enſes

In cineres dabit hora nocens,& perfidus error?
Huc huc pierides,nemorum per luſtra loquaces,
Tendite,& ardentes ignes fluuialibus vndis
Mergite,ne pereat tam clari muſa poëtæ:
Flammáque vaneſcat: viuat Maro clarus in orbe,
Ingratúſque ſibi.ſed quod malè iuſſerat ipſe,
Sit vetuiſſe meum:ſacer eſt poſt tempora vitæ,
Sícque erit æternum.tota reſonante Camœna,
Carmen,& imperij diui ſub nomine viuat:
Laudetur,placeat,vigeat,relegatur,ametur.

Extant de eadem re, Sulpitij Carthaginenſis verſus.

Iuſſerat hæc rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius,Phrygium quæ cecinere ducem.
Tucca vetat,Varúſque ſimul:tu maxime Cæſar,
Non ſinis,& Latiæ conſulis hiſtoriæ.
Infælix gemino cecidit propè Pergamon igni,
Et penè eſt alio Troia cremata rogo.

Hoc idem Plinius libri ſeptimi capite triceſimo: Diuus Auguſtus(ait)carmina Virgilij cremari,contra teſtamenti eius verecundiã vetuit: maiúſque ita vati teſtimonium contigit, quàm ſi ipſe ſua carmina probauiſſet. Hæc eorũ temporum de Virgilio iudicia fuerunt:varia tamen fuerunt conſequentium ſeculorũ.Caligula eius ſcripta,& imagines, parũ abfuit,quin ex omnibus bibliothecis amouerit: quem vt nullius ingenij minimęque doctrinæ carpebat. Adrianus Ennio poſtpoſuit: Alexãder poëtarum Platonẽ appellauit:ipſiúſque imaginem cum ſimulacro

Cice-

Ciceronis in ſecundo Larario habuit, vt Lampridius author eſt. In Bucolicis duas eclogas ſed inſulſiſsimè, Paro quidam deridet, & ſic deridendo incipit:

Tityre, ſi toga calda tibi eſt, quo tegmine fagi?

In ſequente autem,

Dic mihi Damœta, cuium pecus? anne latinum?
Non, verùm AEgonis: noſtri ſic rure loquuntur.

Item alio recitante è Georgico,

Nudus ara, ſere nudus (ſubiecit) *habebis frigore febrim.*

Eſt & aduerſus Æneïda liber Carbilij Pictoris, titulo Æneïdomaſtyx. Marcus Vipranius eum à Mecœnate ſuppoſitum appellabat, nouę & peruerſæ imitationis repertorem, neque tumidum, neque exilem, ſed communibus verbis opus illud confeciſſe dictitabat. Herennius vitia eius tantùm cõtraxit, Perilius Fauſtinus furta. Sunt & Octauij Auiti volumina, quibus annotantur quos & vnde verſus trãſtulerit. Aſconius libro, quem contra obtrectatores Virgilij ſcripſit, pauca ei admodũ obiecta ponit, & potiſsimùm quòd non rectè hiſtoriam contexuit, & quòd pleráque ab Homero ſumpſit. Sed his reprehenſionibus, vt periculis virtus ſolet, Virgilij claritas maior apparuit, cùm in tot támque variis operibus, tam exigua materia reprehenſionis fuiſſe videatur. Atque hæc nimirum populea virga fuit inter cæteras poëtarũ populos tantùm eminẽs, quantũ (vt poëta ipſe cecinit)

-Lenta ſolent inter viburna, cupreßi:

Quamobrem Virgilij vita nobis adhuc expoſita eſt, vt animis noſtris infixum & impreſſum teneamus, magnas hominum excellentes virtutes non in cunabilis & magnis opibus naſci, ſed diligentia, labore, vigilantia, tanquam parente procreari: deinde, vt Maronis exemplo & factis compendiariam virtutis viam noſcamus, vt Virgilianam laurum illam refertam floribus ac fructibus variis ſuſpiciamus, & quidem tot taléſque fructus, ſingulari ſuauiſsimi numeri voluptate conditos, non ſolùm ſtudio conficiamus, ſed meditatione & vſu concoquamus: vt Virgilij mitem illum vultum, adeóque temperantiam, conſtantiam, iuſtitiam imitemur: vt Virgilij proceram illam populum, non iam fœtis mulieribus, ſed ingeniis amore laudãdarum diſciplinarum grauidis conſecratam putemus, ad eámque ſtudiorum noſtrorum vota & ſuſcipiamus, & perſoluamus. Denique vt Virgilius (ſicut Auguſtus ille Virgilianus veriſsimè & vtiliſsimè monuit)

Laudetur, vigeat, placeat, relegatur, ametur.

P. VIRGILII MARONIS BVCOLICA, P. RAMI, ELOQVENTIAE *& philoſophiæ profeſſoris Regij, prælectionibus expoſita.*

PASTORVM genera tria ſunt, αἰπόλοι, ποιμένες, βουκόλοι, caprarij, opiliones, bubulci, ait Donatus: imò etiam plura, vt ſunt porcorum, equorum & animantium reliquarum cuſtodes: per ſynecdochen ex ſpecie genus appellatur βουκολικὸν, tanquam diceres bubulum pro paſtorali: & βουκολικὰ intellige ἔπη, carmina. Cõſimili nominis humilitate Theocritus Idyllion dixit: εἶδος enim, forma, ſpecies: quomodo Pyndarus vocat ſua poëmata εἴδη, vnde diminutiuum εἰδύλλιον, paruum poëma, vt ab ἔπος, ἐπύλλιον. In cuius autem numinis honorem id primò cantatum ſit, varia interpretum opinio eſt: Alij Dianã, alij Apollinem Nomium, alij deos alios nominant: nec ad intelligendum poëtam id attinet.

ECLOGA PRIMA.
Tityrus.

Melibœus. *Tityrus.*

Tityre, tu patulæ recubans ſub tegmine fagi,
Sylueſtrem tenui muſam meditaris auena:

Nos patriæ fines,& dulcia linquimus arua.
Nos patriam fugimus:tu Tityre,lentus in vmbra
Formoſam reſonare doces Amaryllida ſyluas.

TIT. *O Melibœe,deus nobis hæc otia fecit:*
Nanque erit ille mihi ſemper deus:illius aram
Sæpe tener noſtris ab ouilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boues,vt cernis,& ipſum
Ludere,quæ vellem, calamo permiſit agreſti.

ME. *Non equidem inuideo,miror magis.vndique totis*
Vſque adeò turbatur agris. en ipſe capellas
Protenus æger ago:hanc etiam vix Tityre duco.
Hîc inter denſas corylos modò nanque gemellos,
Spem gregis, ah! ſilice in nuda, connixa reliquit.
Sæpe malum hoc nobis,ſi mens non læua fuiſſet,
De cælo tactas memini prædicere quercus:
Sæpe ſiniſtra caua prædixit ab ilice cornix.
Sed tamen, iſte Deus qui ſit,da Tityre nobis.

TIT. *Vrbem,quam dicunt Romam,Melibœe,putaui,*
Stultus ego,huic noſtræ ſimilem:quò ſæpe ſolemus
Paſtores,ouium teneros depellere fœtus.
Sic canibus catulos ſimiles,ſic matribus hœdos
Noram,ſic paruis componere magna ſolebam.
Verùm hæc tantùm alias inter caput extulit vrbes,
Quantùm lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

ME. *Et quæ tanta fuit Romam tibi cauſa videndi?*

TIT. *Libertas:quæ ſera,tamen reſpexit inertem,*
Candidior poſtquam tondenti barba cadebat:
Reſpexit tamen,& longo pòſt tempore venit:
Poſtquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Nanque (fatebor enim) dum me Galatea tenebat,

Nec

Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculi,
Quanuis multa meis exiret victima ſeptis,
Pinguis & ingratæ premeretur caſeus vrbi:
Non vnquam grauis ære domum mihi dextra redibat.
Mirabar quid mœſta deos Amarylli, vocares: ME.
Cui pendêre ſua patereris in arbore poma:
Tityrus hinc aberat: ipſæ te Tityre pinus,
Ipſi te fontes, ipſa hæc arbuſta vocabant.
Quid facerem? neque ſeruitio me exire licebat: TIT.
Nec tam præſentes alibi cognoſcere Diuos.
Hîc illum vidi iuuenem, Melibœe, quotannis
Bis ſenos cui noſtra dies altaria fumant.
Hic mihi reſponſum primus dedit ille petenti:
Paſcite vt antè boues, pueri, ſubmittite tauros.
Fortunate ſenex, ergo tua rura manebunt? ME.
Et tibi magna ſatis, quanuis lapis omnia nudus,
Limoſóque palus obducat paſcua iunco,
Non inſueta graueis tentabunt pabula fœtas,
Nec mala vicini pecoris contagia lædent.
Fortunate ſenex, hîc inter flumina nota,
Et fontes ſacros, frigus captabis opacum.
Hinc tibi, quæ ſemper vicino ab limite ſepes,
Hyblæis apibus florem depaſta ſalicti,
Sæpe leui ſomnum ſuadebit inire ſuſurro.
Hinc alta ſub rupe canet frondator ad auras.
Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes,
Nec gemere aëria ceſſabit turtur ab vlmo.
Antè leues ergo paſcentur in æthere cerui, TIT.
Et freta deſtituent nudos in littore piſces:
Antè, pererratis amborum finibus, exul

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quàm noſtro illius labatur pectore vultus.

ME. *At nos hinc alij ſitientes ibimus Afros:*
Pars Scythiam, & rapidum Cretæ veniemus Oaxem,
Et penitus toto diuiſos orbe Britannos.
En vnquam patrios longo pòſt tempore fines,
Pauperis & tuguri congeſtum ceſpite culmen,
Poſt aliquot, mea regna videns, mirabor, ariſtas?
Impius hæc tam culta noualia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? en quò diſcordia ciues
Perduxit miſeros: en queis conſeuimus agros.
Inſere nunc Melibœe pyros, pone ordine vites.
Ite meæ, quondam felix pecus, ite capellæ:
Non ego vos poſthac viridi poiectus in antro,
Dumoſa pendêre procul de rupe videbo.
Carmina nulla canam: non me paſcente, capellæ,
Florentem cythiſum, & ſalices carpetis amaras.

TIT. *Hîc tamen hac mecum poteris requieſcere nocte*
Fronde ſuper viridi: ſunt nobis mitia poma,
Caſtaneæ molles, & preßi copia lactis:
Et iam ſumma procul villarum culmina fumant,
Maioréſque cadunt altis de montibus vmbræ.

Ecloga] Ἐκλογὴ, electio, ſeparatio, explanatio: hîc autem collocutio eſt: & Cicero ſecunda decimiſexti ad Atticum, Eclogarios appellat eos, qui colloquuntur. in libro de Gloria: De gloria, ait, miſi tibi: cuſtodies igitur vt ſoles: ſed notentur eclogarij, collocutores vulgò dicuntur in fabulis poëtarum.

Tityrus] Tityrus Lybicè hircum ſignificat, vt Probus ait: vel arietem maiorem, qui gregem anteire ſolet, vt Seruio placet: vel dorica lingua Satyrum, vt alij voluere: quidam

re:quidam putant etiam hoc nomine calamum, lingua Laconica ſignificari: hoc autẽ nomine Virgilius agris ſuis reſtitutus intelligitur: nomen tamen eſt ſumptum è Theocriti Idyllio tertio, aut potiùs ſexto: vbi Tityrus pro ruſtici carminis peritiſſimo adhibetur: tametſi in nominibus vel fingendis vel aliunde trãsferendis, nulla magnopere adhibita videtur poëtæ ratio, vt è collatione Theocriti & Virgilij intelliges, apud quos idem nomen diuerſis perſonis accommodatur.

Melibœus] ὅτι μέλει αὐτῷ τῶν βοῶν, quòd illi cura ſit boũ. & hoc nomine ſignificatur Mantuanus agris eiectus.

Tityre] Primæ eclogæ hoc eſt enthymema: Tityrus eſt otioſus per Octauium receptis agris: quapropter ei gratias agit: ſed ad rem augendam, enthymematis antecedens per tres partes tractatur, vt otioſus, vt per Octauium, vt agris receptis: & perpetua diſſimilitudine labores Melibœi comparantur.

Tityrè] Propoſitio eſt de otio ex effectis Tityri.

Patulæ] patulis ramis diffuſæ, vt Cicero primo de Oratore loquitur. *Recubans*] requieſcens. *Tegmine*] vmbra: ſynecdoche eſt generis pro ſpecie. *Fagi*] notabis Virgilium, decori rationem cæteris in rebus, tum in loco habuiſſe, vt paſtoribus locus idoneus ad canendum & a-[...]endum proponeretur: ſic ecloga prima, patulam fa-[...]um, ſecunda, vmbroſa cacumina fagos, tertia, mollem herbam, quinta, corylis miſtas vlmos & antrũ, vt ſexta, ſeptima argutam ilicem, octaua, teretem oliuam proponit: vel antiqui victus habita etiam eſt ratio: nam Plinius libri decimiſexti capite decimotertio ſic ait: Dulciſſima glans omnium fagi, vt qua obſeſſos etiam homines duraſſe in oppido Chio tradit Cornelius Alexander. *Tityre*] Verſus idem repetitur in fine Georgicôn, ſed paulùlum immutatus:

Tityre, te patulæ cecini ſub tegmine fagi.

Syluestrè] in ſyluis bucolicũ carmen cantari ſolitũ: hinc paulò pòſt, *Formoſam reſonare doces Amaryllida ſyluas.* Itẽ 2. ecloga, *Montibus & ſyluis ſtudio iactabat inani.*

Itē 4.ecloga, *Si canimus ſyluas,ſyluæ ſint conſule dignæ.*
Itē 6.ecloga, *Noſtra nec erubuit ſyluas habitare Thalia:*
Sed præcipuè initio AEneidos:

Ille ego qui quondam gracili modulatus auena
Carmen, & egreſſus ſyluis vicina coëgi,
Vt quamuis auido parerent arua colono. &c.

Quibus locis Erythræus vindicat (ſylueſtrem) legendū: attamē Quintilianus, libri noni capite quarto, agreſtem legit manifeſtè, cùm ſyllabæ, a, & gre quantitatem interpretatur. [*Muſam*] metonymia pro carmen. [*Meditaris*] μελετᾶς, ait Seruius, qui latinum de Græco deducit. [*Auena*] metonymia pro fiſtula auenæ culmo facta: vt illic - *gracili modulatus auena*: quales tropi erunt deinde, ſtipula, calamus, cicuta. [*Nos patriæ*] Antapodoſis ex effectis Melibœi. [*Dulcia*] Sic Ouidius de Pōto:

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Tangit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Nos nos] Anaphora. [*Tu Tityre*] repetitur propoſitio mutatis verbis. [*Reſonare*] dum tu canis carmen de formoſa Amaryllide, ſyluæ ipſæ reſonant: quo genere orationis Cicero pro Archia poëta dixit, Saxa atque ſolitudines voci reſpondent, beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur & conſiſtunt. [*Amaryllida*] metonymia pro carmine compoſito de Amaryllide, vt Seruius: & hoc nomine Roma & Romani familiares Maronis & amici intelliguntur, quorum laudes Virgilius cecinit: ſic paulò pòſt, *Mirabar quid mœſta deos Amarylli vocares* ἀμαρύσσω, luceo, ἀμάρυγμα, ſplendor: malo autem ſimpliciter intelligere amicam Tityri, vt otioſus paſtor amores ſuos decantet: Sic etiam apud Theocritum tertio Idyllio, Amaryllis amatur à Tityro.

O *Melibœe*] Secunda pars argumēti principis, longam periphraſim habet Octauij, ex adiunctis, quòd deus ſit, & quidem Romæ: in tota ecloga nuſquam nominatim appellatur: diuinitas ipſa primùm ſuis adiunctis approbatur; deus verò vel ob beneficiorū gratiam modò dicitur, iuxta prouerbium, Homo homini deus: vel quòd

reuera

ſeuera Virgilius deum ſtatueret, vt Romani tum ſtatuêre: ſicut Horatius teſtatur:

Præſenti tibi, maturos largimur honores:
Iurandáſque tuum per nomen ponimus aras:

Et Suetonius in Auguſto, capite quinquageſimo nono, Pleræque prouinciarum templa & aras conſtituerunt: Cuius adulationis ἀποθέωσις primo Georgico copioſiùs tractatur. [*Deus deus*] in principio & fine, epanalepſis.

Ouilibus] abductus ſupple. [*Imbuet*] propriè perfundet, vt apud Horatium,

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu.

& apud Ciceronem quinta Philippica, Cùm autem gladium ſcelere ſemel imbuiſſet. *Ille illius*] polyptoton. *Ille meas*] iteratur prima pars de otio, ex adiunctis, libera paſtione & cantione. *Errare*] ſynecdoche generis pro ſpecie, pro liberè paſci, vt ecloga ſecunda,

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.

Ludere] ſynecdoche ſimilis pro canere: qualis eſt in fine quarti Georgici, *Carmina qui luſi paſtorum.*

Calamo] metonymia: calamus enim propriè eſt frutex aquatilis, tibiis & ſcripturis aptus, cãna minor & arundine: hîc pro fiſtula ex calamo: quomodo erit poſtea,

Tu calamos inflare leues. *Non equidẽ*] antapodoſis ex adiunctis laboribus & eorũ prædictionibus, quæ diuina teſtimonia ſunt. *Non equidem inuideo*] ſic Idyllio primo,

κ' οὔ τοι φθονέω
Nequaquam tibi inuideo.

Sic ad verbum redditus eſt Theocritus: neque hanc cõuerſionem pueris (quibus hæc ſcribimus) alienam putaui. Itaque & in reliquis etiam locis proponemus. Sic igitur idem iterum Idyllio 19.

τῷ δ' ἐγὼ οὐ φθονέοιμι,
Huic autem ego non inuideam.

Miror] correctio ex maioribus: vbi mirari, pro cum voluptate intueri, rectè ſumetur: vt tertio Georgico Nonius illud explicat,

Ceu quis olympiacæ miratur præmia palmæ.

Protenus] loci eſt aduerbium pro longè, vt Seruius & Caper,cùm Protinus,ſit tēporis:at Sipōtinus,Protinus, hîc per i. tertiam vocalē ſcribit,& interpretatur valde. *Corylos*]adiūcta ſunt loci ad commiſerationē augendū, cùm mollib⁹ ſtratis excipiēdus fœt⁹ fuerit,vt 3.Georg.

Et multa duram ſtipulis filicúmque maniplis.

Denſas autem appellauit corylos epitheto proprio: itaque propter hanc denſitatem nimiam,vetat Georgico ſecundo in arbuſtis corylos ſeri,

Néue inter vites corylum ſere.

Connixa] ſynecdoche pro enixa:cōniti enim nō in partu ſolùm dicitur. *Sæpe*] Propoſitio eſt tertij connexi :Si nō fuiſſemus ſtulti,poterat illud euitari:at fuimus,propterea non euitauimus:ſic enī expleto ſyllogiſmo intellige. *Læua*]ſtulta:ſic enim rurſum 2.Aeneidos iteratur,

Et ſi fata deûm,ſi mens non læua fuiſſet,
Impulerat ferro,argolicas fœdare latebras.

Contrà autem in auſpiciis læuum dicitur proſperum: *Intonuit læuum*, ſecundo AEneidos: quia ſiniſtra fulminum intuentibus dextra ſunt. *De cælo tactas*] id eſt fulminatas,fulmine ictas:quomodo tertia Catilinaria Cicero loquitur: Tactus eſt ille,qui hanc vrbem condidit Romulus.vbi cælum pro aëre,& aër pro tēpeſtate aëris ſumitur duplici metonymia. *Prædicere*] Metaphora à rem inanimatam,à re animata. *Quercus*]Quercus olim victum ſua glande ſuppeditauit hominibus,& in tutela Iouis erat: itaque hoc augurio ſignificabatur ira Cæſaris, tanquam Iouis quercum ferientis, id eſt agros eripientis:& huc referri poteſt illud primi Georgici,

Non aliàs cælo ceciderunt plura ſereno
Fulgura.

Sæpe]Anaphora eſt : hic autē verſus in veteribus quibuſdam codicibus nō habetur,nec Seruius interpretatur : & Cicero cōtrà in primo de Diuinatione ait à ſiniſtra cornice ratum & lętum auguriū fieri.Quid augur? ait:cur à dextra coruus,à ſiniſtra cornix facit ratū? & vt

ex Varrone conſtat libro quinto epiſtolicarum quęſtionum, A deorũ ſede cùm in meridiem ſpectes, ſiniſter eſt oriens, dexter eſt occidens. Quare hic verſus videtur meritò ab interpretibus expungi. Eſt tamen ecloga nona eiuſdem augurij, & penè iiſdem verbis verſus,

Antè ſiniſtra caua prædixit ab ilice cornix:

Quo videtur & hic defendi: nec omnino ſequitur, ſi cõtrà Cicero Varróq; ſenſerint, vt Virgilij verſus ideo nõ ſit: videmus enim eundem authorem interdum ſibi ipſi contraria profitentem. *Sed tamen*] poſtulatur apertior definitio propoſiti dei: cuius gratia deinde Roma deſcribitur maxima ciuitatum, vbi deus eſt Octauius. *Stultus*] paſtoralis ſimplicitas declaratur ſimili, ſimilibus aliis illuſtrato. *Huic noſtræ*] Periphraſis Mantuæ ex adiunctis. *Depellere*] vulgo id ablactare dicitur: at Varro in Re ruſtica ſecũdo libro depellere dicit, vt hîc Virgilius: Cùm depulſi ſint agni à matribus, diligentia adhibẽda eſt, ne deſiderio ſeneſcant. & ibidem, Cùm porci depulſi ſint à mamma, à quibuſdam delici appellantur, neque iam lactetes: & ſic ecloga tertia dicetur *-depulſis arbutus hœdis.* Hoc idem Varro ibidem dicit à mamma diiungere: Ferè ad quatuor menſes à mamma non diiungũtur agni. vel depellere pro deducere dictũ eſt, nempe vt ibi væneant, cùm mox dicatur,

Quanuis multa meis exiret victima ſeptis:

Vbi poteſt etiam ſynecdoche intelligi ſpeciei pro genere: nec enim ſolos agnos, ſed hœdos, vitulos deducit paſtor. *Teneros fœtus*] periphraſis agnorum ex genere & adiuncta differentia. *Sic canibus*] Anaphora, & in canibus catulos, paronomaſia: Columella libro ſecũdo capite nono hãc ſimilitudinem aliter aſſumit: nihil enim (ait) dubium eſt, quin ipſa natura ſobolem matri ſimilẽ eſſe voluerit: vnde etiam paſtor ille in Bucolicis ait,

Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hœdos

Noram- In quo tamen magis ſuum quàm Virgilij ſenſum ſequitur: paſtor enim hic errorem ſuum ſignificat, qui magnis parua comparet: naturę ſimilitudi-

nem in ſobole non indicat. *Matribus*] periphraſis caprarum, quæ ſunt matres hœdorum. *Verùm*] Correctio eſt illius ſimplicitatis per diſſimilitudinē Romæ & Mātuæ: Roma verò tum caput mundi fuit: Martialis,

Terrarum dea gentiúmque Roma,
Cui par eſt nihil, eſt nihil ſecundum.

Et Virgilius ſexto AEneidos, *-Illa inclyta Roma*
Imperium terris, animos æquabit olympo.

Viburna] Viburnum, frutex humilis, vt geniſtæ, myricæ: quidam putāt eſſe vitem albam, Gallis viurnum: vt detrita vna litera de viburno, viurna facta ſit: vide Ruellium. *Et quæ*] interponitur finis Romam veniendi, libertas, & illuſtratur periphraſi ætatis, paſtoribus decora, nempe barbæ ſectione. *Candidior*] Seruius refert ad, libertas: poteſt etiam lanuginis periphraſis eſſe: candidū enim eſt propriè nitenti quadam ſpecie perfuſum: ac quanuis cādida barba hîc pro cana diceretur, alienum fortaſſe non eſſet: nam Tityrus hîc etiam ſenex fingitur: vt paulò pòſt erit,

Fortunate ſenex, ergo tua rura manebunt.

Et nimirum ſera libertas illa fuerat, quę longo pòſt tépore ad Tityrum, ſenio confectum venerit. *Inertem*] Metaphora pro deſide: propriè ſiquidem qui carent artibus ingenuis, inertes dicūtur, vt ſecūdo de Finibus Cicero ait: Sed luſtremus animo maximas artes: quibus qui carent, inertes à maioribus nominabātur. *Reſpexit*] Epanodos. *Poſtquā*] illuſtratio altera ex diſſimili habitu ſub Galatea, quòd Mantuæ, ſeruus & pauper fuerit. *Peculi'*] Apocope pro peculii: Omne autem patrimonium, peculium antiquis dicebatur, quia in pecoribus erat omnis eorum ſubſtantia: nunc autem ſeruorum. *Quanuis*] Augetur ſeruitutis miſeria ex adiunctis fructibus, vnde tamen nil redit ad ſeruum. *Septis*] ſynecdoche pro ouilibus. *Ingratæ*] quæ gratias habet exiguas paſtoribus, à quibus tamen alitur. *Vrbi*] ſynecdoche pro Mantuæ, & metonymia pro vrbanis. *AEre*] metonymia pro ærea moneta per ſynecdochen: accipitur generaliter pro

omni pecunia : ære autem rudi primò Romanos vſos eſſe Timæus author eſt:Seruius autem primus ſignauit nota pecudis:vide Plinium libro decimo octauo capite tertio,& triceſimo tertio capite tertio.

Mirabar] Illuſtratio tertia finis propoſiti ex eius efficiente,& adiunctis hyperbolicis abſentis Tityri.an hîc Amaryllidis nomine, Romanos intelliges deo Auguſto pro Marone ſupplicantes? imò potiùs amicæ votum pro reditu Tityri ſui abſentis : nec enim placet allegoria Seruij, nec laudes Maronis hîc accipio, quem Romanæ muſæ expectarint : ſimplicem tantùm & ruſticum ſenſum amicæ, amatorem deſiderātis congruere iudico : mirabar Amarylli,cur mœſta deos,vocares: cauſſa nempe mœſtitiæ & obſecrationis tuæ, fuit abſentia Tityri,cuius etiam poma pendêre patiebaris in arbore,nec ea legebas,ita deſiderio tabeſcebas:denique non Amaryllis ſola Tityrum abſentem deſiderauit,ſed pinus,fontes,arbuſta. Ergo mirabatur Melibœus abeſſe Tityrum,cùm tantopere deſideraretur:at cognita abſentiæ cauſſa,libertate,mirari iam deſinit.Tale eſt illud quarto Idyllio,

ταὶ δαμάλαι δ' αὐτὸν μυκώμεθαι ὧδε ποθεῦντι:
Hæ iuuencæ autem ipſum mugientes deſiderant.

Pinus] *Pulcherrima pinus in hortis*, erit poſtea ſeptima ecloga:& vndecimo AEneidos,

-euertunt altas ad ſydera pinus.

Arbuſta] Arbuſta,ait Valla in Raudenſem,ſunt multæ arbores ad fructum conſitæ,vt oliuetum, auellanetum, amygdaletū,vel vites arbori applicitæ : Seruius fruteta hîc interpretatur:at in ſcriptoribus rei ruſticæ, arbuſtū video de arboribus vitium maritis dici,etiāſi fructiferæ non ſint.hinc etiam arbuſtare pro arboribus conſerere ad maritandas vites:Plinius libro decimo ſeptimo,capite viceſimo tertio, Tranſpadana Italia præter ſupradicta,corno,populo,tilia, acere, orno, quercu arbuſtat agros. & Varro de Re ruſtica capite triceſimo ſeptimo, pomarium & arbuſtū videtur diſtinguere.Itémque Co-

lumella libro quinto,vbi de arbuſto & Italico &Gallico præcipit capitibus quinto & ſexto,& eiuſdem libri capite decimo,ſeparatim de pomiferis arboribus : quod itẽ facit libro de arboribus ſeparato. Notabis igitur ſicubi arbuſtum de pomario dicatur, aut etiam de quibuſuis arboribus nõ vitiferis. *Quid facerem*?]Tertia illuſtratio ex contrario libertatis, & eius facultate: vbi reſponſio eſt ad tantum abſentiæ deſiderium:quãuis maximè deſiderabar,attamen libertatis cauſſa abeſſe, & Romam venire debui. *Hic illum*] Repetitur prima periphraſis Octauij, & accõmodatur ad Romæ periphraſim, quòd Romæ ſit ille deus: & diuinitatis ratio repetitur. *Hic mihi*] Anaphora,vbi repetitur tertio loco Tityri otium.

Pueri] Pueri appellatio tres ſignificationes habet:vnã cùm omnes ſeruos pueros appellaremus,alteram cùm puerum contrario puellæ nomine diceremus, tertiam cùm puerilem ætatem demonſtraremus, ait Paulus in verborũ ſignificationib⁹:hîc prima ſignificatio cõuenit. *Submittite*]vide num ſit epiſynalœphe,pro ſupermittere:nec enim ſaliendis vaccis tauri propriè ſubmittũtur, ſed ſupermittuntur:quidã à ſuſum antiqua præpoſitione deriuant.eſt autem verbum hoc Georgicon:

Tu modò quos in ſpem ſtatuis ſubmittere gentis?

tertio Georgico.& item ibidem,

Et quos aut pecori malunt ſubmittere habendo.

Idyllio 9. μόσχως βωσὶν ὑφέντες, ὑπὸ στείραισι δὲ ταύρως.
χ᾽ οἱ μὲν ἅμα βόσκοιντο, καὶ ἐν φύλλοισι πλανῶντο
Vitulos bobus ſubmittẽtes,ſub ſterilibus autẽ tauros,
Et hi quidem ſimul paſcant,& in folijs errent.

Fortunate ſenex] concluditur tertia pars argumẽti principis de receptis agris. *Fortunate*] Exclamatio,vt apertior poſtea ſecundo Georgico,

O fortunatos nimiùm,ſua ſi bona norint,
Agricolas.

Et tibi] Topographia agri Virgiliani:nam à monte vſque ad lacum, & inde vſque ad veterem quandam fagum, Virgilio donata terra fuerat, ait Seruius,ſed ſine authore,

authore. Talis erit topographia nona ecloga,

Certè equidem,&c. Syntaxis autem eſt, At tibi ſatis magna paſcua manebunt, ſupple quanuis nudus lapis & palus obducat omnia limoſo iunco. *Obducat*] circundet & terminet. *Non inſueta*] adhibetur definiti agri ad augendam beneficij gratiam commendatio ex adiunctis,ſalubri paſtione & paſtoris voluptatibus, refrigeratione,ſomno,cātu tum frondatoris,tum palumbium,tum turturum. *Fœtas*] grauidas:nam fœtæ etiam dicũtur quæ pepererunt. *Sacros*] propter Naiades nymphas,quibus ſacri ſunt fontes. *Opacum*] metonymia, quia fit ex opaco loco, qui propriè dicitur opacus & vmbroſus:

vt *-Lucis habitamus opacis.* ſexto AEneidos,

Et *Syluis euadit opacis,* vndecimo AEneidos:

Hinc opacare de ſole Cicero ait ſecundo de Natura deorum. Cùm terras larga luce cõpleuerit eaſdem modò his,modò illis partibus opacet. Et primo Georgico,

Hinc altæ frondes & rami matris opacant.

Hinc] paulò antè (*hîc inter*) polyptoton: Syntaxis eſt horum trium verſuum, *hinc ſpes*, quæ tibi eſt, ſupple, ſemper à limite vicino depaſta florem ſalicti ab apibus hyblæis,ſuadebit &c. *Limite*] pro termino inter te & vicinum tuum. *Hyblæis*] Hybla,oppidum Siciliæ,& mõs oppido vicinus, vbi thymi & ſalicum copia: ideóque mel optimum:ſpecies igitur pro genere hîc ſumitur, & ſynecdoche eſt, hyblæis apibus,pro optimis. *Florem*] intellige ſecundùm, vt græcè κατὰ.quod poëtis eſt vſitatiſſimum,

vt, *Os humeróſque deo ſimilis.*

item *- Cætera Graius.*

Salicti) Salicetum,locus ſalicibus conſitus,& per ſyncopem ſalictum: non modò in metro,ſed in proſa: Accedit eò mons Gaurus,accedent ſalicta ad Mynturnas, Cicero ſecunda Agraria. Quòd autem apes floribus ſalicum paſcantur,eſt etiam quarto Georgico,

-paſcuntur & arbuta paſſim

Et glaucas ſalices.

Suſurro] ſuſurrus, eſt leue murmur, vt frondium, & hîc apum: & è re fictum nomen eſt, quod onomatopœiam vocant.

E'que ſacra reſonant examina quercu,

erit ecloga quinta: quod apud Theocritũ eſt Idyllio 1.

ὧδ' καλὸν βομβεῦντι ποτὶ σμάνεσι μέλισσαι.

Hic pulchrum reſonant in aluearibus apes.

Et rurſus idem repetitur quinto Idyllio. *Sub rupe*] in rupe ait Mancinellus. *Frondator*] qui frones amputat & ex iis manipulos ad hybernum pecorum paſtum cõficit. *Auras*] in die, ait Seruius: Mancinellus autem hîc ſublimi voce, id eſt maxima, quod malo. *Gemere*] Palumbes propriè dicũtur minarrire, vt eſt apud AEliũ Spartianum: Roucoulare hoc dicũt Franci: gemere verò turturibus magis conuenit. ac in elegia Ouidio attributa, de auium vocibus, ſic eſt,

Et ceſius turtur atque columba gemunt.

Et Plinius libri decimi capite triceſimo quinto de palumbibus ait: Cantus omnibus ſimilis, atque idem terno conficitur verſu, præterquã in clauſula gemitu, hyeme mutis, vere vocalibus. de palũbibus erit tertia ecloga: *-Nanque notaui*

Ipſe locum, aëriæ quo congeſſere palumbes.

Idyllio 5. *ταὶ δ' ἐπὶ δένδρῳ*

ὄρνιχες λαλαγεῦντι. *-In arbore autem.*

Aues garriunt.

Aëriæ] Metonymia ex ſubiecto ſignificans adiunctum, pro alta enim ponitur. Ecloga decima, vlmus alta propriè pro eodem dicitur,

-alta liber aret in vlmo.

Antè] Concluditur eclogæ princeps enthymema, in gratiarum actione, quæ augetur hyperbolica minorum collatione. *Freta*] Synecdoche pro mari: fretum enim propriè eſt anguſtum mare inter duas terras, vt fretum Siculum, fretum Gaditanum: à feruendo dictum.

Pererratis] confuſis, & ſic vt Arar in Parthiam, & Tigris

Tigris in Germaniam influat: & Germanus in Germania Tigrim bibat, Parthus in Parthia Ararim. & exul, ad (Parthus) tantùm refertur: Parthi enim lingua Scythica dicũtur exules: & eſt Syntaxis, Ante Parthus exul bibet Ararim & Germania Tigrim pererratis amborum fluuiorũ finibus &c. Tigris autem ex Armenia ortus, in Aſſyriam influens, delabitur in Perſicum ſinum, nec Parthiam proximam Aſſyriis orientem verſus, attingit. Arar autem ortus è vicinia Vogeſi ad Lugdunum Rhodano commiſcetur, nec Germaniam attingit. eſt tamen vterque fluuius propoſitis regionibus vicinus, & imperitiæ paſtoritiæ decorum aliquod fortaſſis hîc ſpectatum eſt: quod ecloga ſecunda ad illum locum,

-nuper me in littore uidi,

Seruius adnotat Theocrito frequens eſſe: Ammianus tamẽ libro 15. fontem Araris Germaniæ primæ tribuit. & verò Araris oritur proximè Vogeſinas alpes in collimitio Germanorũ & Germaniæ primæ. Itaque de hac prima Germania intelligi poſſe locus Maronis Beato Rhenano viſus eſt. At Virgilij tempore Galliæ pars illa nondum prima aut ſuperior Germania dicta erat.

Labatur pectore vultus] Quarto Idyllio,

ὦ χαρίεσσ' Ἀμαρυλλὶ, μόνας σέθεν οὐδὲ θανοίσας λασεύμεσθα.

O gratioſa Amarylli, ſolius tui neque mortuæ Obliuiſcemur.

At *nunc*] Antapodoſis eſt lamẽtationis de futuro exilio: primùm de diuiſione exulum in diuerſas orbis partes profugorum: in qua quatuor mundi cardines quodammodo notãtur, meridies in Aphrica, Septẽtrio in Scythia, oriẽns in Creta, occidens in Britannia.

Sitientes] intellige, ad, præpoſitionem licentia poëtica omiſſam: & ſitientes propter zonam torridam, quæ ab Aphris incolitur: metonymia autem eſt Aphros pro Aphricam, quæ in hoc genere rarior eſt. *Scythiam*] verſus ſeptentrionem, quæ hodie Tartaria dicitur.

Oaxem] fluuium Meſopotamiæ, qui ſua velocitate,

rapit albam cretam, vnde fit turbulentus, ait Seruius: neque creta hîc pro inſula mediterranei maris, ſed pro terra Seruio intelligitur: alij interpretes Cretæ inſulæ fluuium faciunt: Quidam ab Oaxe filio Apollinis etiã dictum putant: alij etiam regiunculam Cretæ altam, vt Etymologicus: & Oaxus oppidum Cretæ dictum, quòd loca prærupta Cretes ἄξος vocant. Vide Plin. de Oxo fluuio non valde à Seruio diſſidentem: & quanuis hîc Hermolaus & Politianus valde laborarint, attamen Oxus ille Plinianus, qui ante Hermolaum Plinio, & nunc Capellæ Oaxus dicitur, magis diuiſioni terrarum conuenit à Virgilio propoſitæ: Oaxus enim eſt orientis fluuius à Caucaſis mõtibus, inter Bactrianã & Sogdianam fluens in mare, Caſpium. parit autem arenam multo auro fœcundã: vt Ariſt. ait in mũdi mirabilibus. Vtrùm hîc paſtor hanc arenam Cretam dicat, an Cretã dixerit pro Bactrianæ errore idiotis paſtoribus non incongruo, vt iam dixi, conſyderato. Vide Camertem in Solinum. *Britannos*] diuiſos toto orbe dicit, quia continens (quæ Oceano alluitur) orbis eſt terrarum, extra quem ſunt inſulæ Oceani vt Britannia: vel quia Romani verſùs Oceanum Britannicum, Morinos vltimos hominum putabant: vnde Virgilius octauo AEneidos,

Extremíque hominum Morini.

ideóque Britannia orbis alter illis dicebatur.

En vnquam] Secundus lamentationis locus eſt, ex enumeratione adiunctorum bonorum, quæ relinquuntur, domus, noualium, ſegetum. *Regna*] metaphora, pro meas poſſeſsiones, quarum dominus eram. Sic Oratorio. 1. Tullius, Id niſi hîc in tuo regno eſſemus, non tuliſſem. *Ariſtas*] in ſegetibus quod culmus extulit, dicitur ſpica: ea tria continet, granum, plumam, id eſt grani thecam, ariſtam apicem grani & velut acum tenuem: Ariſta autem dicta eſt, quòd areſcat prima: hæc ex Varrone, primo de re ruſtica, capite quadrageſimo octauo. *Ariſtas*] metonymia eſt pro meſſes, & per meſſes, annos intelligimus ſynecdoches tropo: ſic in

vno

vno verbo duo ſunt tropi, metonymia & ſynecdoche: & medio gradu intelligimus tertium, quam metalepſin Quintilianus videtur ſenſiſſe: ſed quod ſentiret, parum explicauit. *Noualia*] hæc noualis & hoc nouale dicitur: vbi ſatum fuit, & antequàm ſecunda ſatione renouetur, requieſcit: vel vnde recèns ſylua ſublata eſt: quod iterum dicemus ad illum primi Georgici locum,

Alternis idem tonſas ceſſare nouales.

Segetes] propriè dicũtur eorum ſeminum, vnde fit panis, nondum tamen demeſſæ, ait Valla libro quarto. Quæcunque altiùs emittunt ariſtas, dicuntur frumenta, vt triticum, ſecale, hordeum. *En quò*] Tertius locus ex efficiente cauſſa: nam victoriæ ciuilis quoddam militibus præmium, fuit aſſignatio agrorum. *En queis*] Anaphora eſt, qua repetitur ſecundus locus de ſegetibus, & aliis partibus augetur, hortis, vitibus, paſcuis. *Inſere*] Apoſtrophe ad ſeipſum. *Pone ordine*] Sic ſecundo Georgicôn,

Indulge ordinibus, nec ſeciùs omnis in vnguem
Arboribus poſitis, ſecto via limite quadret.

Ite] Apoſtrophe ad capellas, & permiſſio. *Ite*] Epanodus, qualis eſt ſeptima ecloga,

Ite domum paſti, ſi quis pudor, ite iuuenci:

et 10. *Ite domum ſaturæ, venit heſperus, ite capellæ.*

Tale primo Idyllio,

ὦ λύκοι, ὦ θῶες, ὦ ἀν' ὤρεα φωλάδες ἄρκτοι,
χαίρεθ'. ὁ βωκόλος ὔμμιν ἐγὼ Δάφνις, οὐκέτ' ἀν' ὕλαν,
οὐκέτ' ἀνὰ δρυμώς, οὐκ ἄλσεα. χαῖρ' Ἀρέθοισα,
καὶ ποταμοὶ, τοὶ χεῖτε καλὸν κατὰ Θύμβριδος ὕδωρ.
O lupi, ô thoes, ô per montes latentes vrſi,
Valete: bubulcus vobis ego Daphnis nõ ampliꝰ per ſyluã,
Non ampliùs per lucos, non nemora: vale Arethuſa,
Et fluuij qui funditis pulchrã iuxta Thymbridem aquã.

Dumoſa] ſpinoſa: dumus enim omnis ſpina dicitur. Animaduerti columellam nõ multũ è dumis eminentem, ait Cicero 5. Tuſculana. *Cytiſum*] Plinius libri decimitertij capite viceſimo quarto, Frutex eſt & cytiſus

ait, ab Ariſtomacho Athenienſi miris laudibus prædicatus pabulo ouium: aridus verò, etiam ſuum: ſpondétque iugero eius annua HS. MM. vel mediocri ſolo, reditus: vtilitas quæ eruo, ſed ocyor ſatietas, perquàm modico pingueſcente quadrupede, ita vt iumenta hordeum ſpernant: non ex alio pabulo lactis maior copia aut melior, ſuper omnia pecorum medicina à morbis omni vſu præſtãte. Quin & nutricibus in defectu lactis aridum atque in aqua decoctum, potui cum uino dari iubet, firmiores celſioréſque infantes fore: viridem etiã gallinis, aut ſi aruerit, madefactum. Apes quoque nunquam defore cytiſi pabulo contingente, promittunt Democritus & Ariſtomachus: nec aliud minoris impendij eſt. omnes verò authores rei ruſticæ, cytiſum celebrarunt. *Amaras.*] hominibus, ait Seruius, nam capris ſuaues ſunt & dulces. *Hic tamen.*] Concluditur ecloga hoſpitali inuitatione ex adiunctis, quòd adeſt lectus, & cibi copia, & aduelperaſcit. Locus verò ex vndecimo Theocriti Idyllio ſumptus eſt:

Ἅδιον ἐν τὤντρῳ παρ᾽ ἐμὶν τὰν νύκτα διαξεῖς.
Ἐντὶ δάφναι τηνεὶ, ἐντὶ ῥαδιναὶ κυπάρισσοι,
Ἐντὶ μέλας κισσὸς, ἔντ᾽ ἄμπελος ἁ γλυκύκαρπος.
Iucundius in antro apud me noctem deges:
Sunt lauri illic, ſunt tenues cupreſſi,
Eſt nigra hedera, eſt vinea dulcis fructus.

Item ſeptimo Idyllio ad finem longè copioſior locus:

-ἔντε βαθείαις
ἁδείας σχίνοιο χαμευνίσιν ἐκλίνθημες,
ἔντε νεοτμάτοισι γεγαθότες οἰναρέοισι.
πολλαὶ δὲ ἄμμιν ὕπερθε κατὰ κρατὸς δονέοντο
Αἴγειροι πτελέαι τε--
Inque profundis
Iucundi lentiſci ſtoreis inclinati fuimus,
Inque nuper inciſis lætantes pampinis:
Multæ autem nobis ſupernè ſuper caput mouebantur
Alni vlmique-

Maioréſque] Ex vmbris mathematicæ deſcriptiones ſunt

ſunt multæ, quòd manè & veſperi maiores ſint vmbræ, meridie autem minimæ.

Fecerat exiguas tum ſol altiſsimus vmbras,

Ouidius quarto Metamorphoſeωn definiens meridiem: & in dimenſionibus corporum etiam adhibentur vmbræ.

ECLOGA SECVNDA
Alexis.

Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexim, POETA.
Delicias domini: nec quid ſperaret, habebat.
Tantùm inter denſas, vmbroſa cacumina, fagos
Aßiduè veniebat: ibi hæc incondita ſolus
Montibus, & ſyluis ſtudio iactabat inani.
O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas, CORY.
Nil noſtri miſerere, mori me denique cogis.
Nunc etiam pecudes, vmbras, & frigora captant:
Nunc virides etiam occultant ſpineta lacertos:
Theſtylis & rapido feßis meſſoribus æſtu
Allia, ſerpylliúmque herbas contundit olenteis,
At mecum raucis, tua dum veſtigia luſtro,
Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis.
Nónne fuit ſatius triſteis Amaryllidis iras,
Atque ſuperba pati faſtidia? nónne Menalcam?
Quanuis ille niger, quanuis tu candidus eſſes.
O formoſe puer, nimiùm ne crede colori:
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Deſpectus tibi ſum, nec qui ſim, quæris Alexi:
Quàm diues pecoris niuei, quàm lactis abundans:
Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ,
Lac mihi non æſtate nouum, non frigore deſit.

Canto, quæ ſolitus, ſiquando armenta vocabat,
Amphion Dircæus in Actæo Aracintho.
Nec ſum adeò informis: nuper me in littore vidi,
Cùm placidum ventis ſtaret mare: non ego Daphnim
Iudice te metuam, ſi nunquam fallit imago.
O tantùm libeat mecum tibi ſordida rura,
Atque humiles habitare caſas, & figere ceruos,
Hœdorúmque gregem viridi compellere hibiſco.
Mecum vnà in ſyluis imitabere Pana canendo.
Pan primus calamos cera coniungere plures
Inſtituit: Pan curat oues, ouiúmque magiſtros.
Nec te pœniteat calamo triuiſſe labellum:
Hæc eadem vt ſciret, quid non faciebat Amyntas?
Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula, Damœtas dono mihi quam dedit olim:
Et dixit moriens, Te nunc habet iſta ſecundum.
Dixit Damœtas: inuidit ſtultus Amyntas.
Præterea duo, nec tuta mihi valle reperti
Capreoli, ſparſis etiam nunc pellibus albo:
Bina die ſiccant ouis vbera: quos tibi ſeruo.
Iampridem à me illos abducere Theſtylis orat:
Et faciet, quoniam ſordent tibi munera noſtra.
Huc ades ô formoſe puer, tibi lilia plenis
Ecce ferunt nymphæ calathis: tibi candida Nais
Pallentes violas, & ſumma papauera carpens,
Narciſſum, & florem iungit bene olentis anethi.
Tum caſia atque aliis intexens ſuauibus herbis,
Mollia luteola pingit vaccinia caltha.
Ipſe ego cana legam tenera lanugine mala,
Caſtaneáſque nuces, mea quas Amaryllis amabat:

Addam

Addam cerea pruna: & honos erit huic quoque pomo.
Et vos ô lauri carpam, & te proxima myrte:
Sic poſitæ quoniam ſuaueis miſcetis odores.
Ruſticus es Corydon, nec munera curat Alexis,
Nec ſi muneribus certes, concedet Iolâs.
Eheu quid volui miſero mihi? floribus Auſtrum
Perditus, & liquidis immiſi fontibus apros.
Quem fugis ah demens? habitarunt Dij quoque ſyluas,
Dardaniúſque Paris. Pallas quas condidit arces
Ipſa colat: nobis placeant ante omnia ſyluæ.
Torua leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam:
Florentem Cytiſum ſequitur laſciua capella:
Te Corydon ô Alexi: Trahit ſua quenque voluptas.
Aſpice, aratra iugo referunt ſuſpenſa iuuenci,
Et Sol creſcentes decedens duplicat vmbras:
Me tamen vrit amor: Quis enim modus adſit amori?
Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cœpit?
Semiputata tibi frondoſa vitis in vlmo eſt.
Quin tu aliquid ſaltem potiùs, quorum indiget vſus,
Viminibus, mollíque paras detexere iunco?
Inuenies alium, ſi te hic faſtidit Alexis.

FORMOSVM] Proponitur initio argumentum eclogæ, incontinentia amantis, de ſuis amoribus in ſolitudine conquerētis: modò enim amaſium partim accuſat, partim allicit: modò amans ipſe ſeipſum reprehendit: qualis AEpoli querimonia eſt in Comaſte Theocriti de ſua Amaryllide: & amatoris infœlicis, Idyllio viceſimo octauo: & Phædriæ in Terentij Eunucho de ſua Thaide. *Alexis*] α eſt priuatiua particula, & λέξις dictio: hîc Alexis, quia nihil hîc dicat, ait Mancinellus: apud Theocritum non eſt, ſed Amaryllis. Alexidis nomine Cæſar intelligitur, ait Seruius: alij malunt Alexandrum puerum à Pollione Maroni donatum, hoc nomine celebratū: mihi magis placet cōmunem locum, & communem affectum fictis nominibus à poëta cantari, vt ſine tropo res ſimpliciter intelligatur, præſertim cùm Theocriti imitatio conſtet. *Corydon*] Corydalus alaudam ſeu galeritā significat: hinc Corydonis fictum nomen apud Theocritum. quo nomine ſignificatur hîc Virgilius, vt Seruio placet: mihi verò Corydon ipſe ſignificatur, id eſt inſanus & intemperans amator, qualis nempe tota ecloga deſcribitur. *Denſas fagos*] patulas fagos dixit antea. *Incondita*] temeraria, inſana: quia modò criminatur, modò adulatur, modò ſibimet reſiſtit. *Syluis*] vbi propriè Bucolica cantantur: vt,

Syluestrem tenui muſam meditaris auena.

O *crudelis*] Accuſatur Alexidis crudelitas tribus diſsimilibus. O *crudelis*] Exclamatio. *Nil*] & priùs *nihil*, παρονομασία eſt.

τὶν ὅλος ἔγκειμαι, τὺ δέ μευ λόγον οὐδένα ποιῇ.

Tibi totus incūbo, tu autē mei rationē nullā facis. 3. Idyllio.

Mori me denique] ex eodem Idyllio paulò antè.

-ἀπάγξασθαί με ποιησεῖς.

-*ſtrangulari me facies.*

Nunc]

Nunc] Anaphora. *Lacertos*] Septimo Idyllio:

ἀνίκα δὴ καὶ σαῦρος ἐφ' αἱμασιαῖσι καθεύδει.

Quando iam & lacertus in ſepibus dormit.

Theſtylis] velut à teſta teſtilem, id eſt fictilem deducit Seruius. Eſt tamen apud Theocritum veneficæ nomen. *Serpyllum*] Serpyllus aut ſerpyllum, Sarpoletum Francis dicitur. Hîc autem ad meſſoris refrigerationẽ herbas calidas Virgilius coniungit, quia (vt ex Plinio citat Seruius) contraria contrariis, aliquãdo ſimilibus etiam curãtur: vt hîc calor & æſtus calidis herbis curatur: Pri[?] autem contraria contrariis, pecudes captant vmbras & frigora aduerſus æſtum: virides lacerti ſpinetis occultantur aduerſus æſtum. *At mecum*] Antapodoſis, At interea tamen vror. *cicadis*] Cicada non eſt noſter gryllus, quanuis magnitudine propè ſit eadem: cygallam Galli Prouinciales appellant: duóque eius genera ſunt, minores, quæ primæ proueniunt & nouiſſimæ pereunt: ſunt autem mutæ: maiores volatu raræ, è quibus (quæ canunt) vocantur achetæ: quæ verò minores ſunt, tettigoniæ: ſed illæ magis canoræ: mares canunt in vtroque genere, fœminæ ſilent: gẽtes veſcuntur iis ad orientem, etiam Parthi opibus abũdantibus: non naſcuntur in raritate arborum, nec in cãpis, nec in frigidis aut vmbroſis nemoribus. Plinius lib. vndecimi cap. viceſimo ſexto, & capite 27. Cicadę mentio eſt Idyllio primo, ſed aliter:

-τέττιγος ἐπεὶ τύγε φέρτερον ᾄδεις,

-cicada quoniam tu meliùs canis.

Nónne] Secundum crudelitatis argumentum è minoribus, Amaryllis & Menalcas ſunt nimis crudeles.

Triſtes] ſic ecloga tertia,

Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres,

Arboribus venti, nobis Amaryllidis iræ.

Quanuis] Illuſtratio ex diſsimili. *O formoſe*] Tertium argumentum, eſt cauſſa ſuperbiæ, quæ ſimilitudine extenuatur. *colori*] ſynecdoche pro candori. *Liguſtra*] Liguſtrum vulgo Franci troëſnam vocant: metonymia hîc eſt ſubiectæ arboris pro floribus adiunctis, quos

conſtat eſſe candidiſsimos:

Toto candidior puella cygno,
Argento,niue,lilio,liguſtro,

ait Martialis libro primo. *Vaccinia*] Vaccinium quid ſit,magna controuerſia eſt inter homines eruditos:Nicolaus Leonicenus putat eſſe acinos liguſtri; & Raphaël Volaterranus hîc vaccinia legit: item pro acinis liguſtri:Maſſariꝰ mauult eſſe mora agreſtia,& Leonardus Fuchſius eum videtur ſecutus: Seruius violas facit purpurei coloris:& Ruellius Seruium ſecutus,hyacintho idem facit: vacietum putat eſſe Gallicũ. Viceſimo octauo Idyllio conſimilis comparatio eſt:

Καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐστι, καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει:
καὶ τὸ ἴον καλόν ἐστιν ἐν ἔιαρι καὶ ταχὺ γηρᾷ:
λευκὸν τὸ κρίνον ἐστὶ, μαραίνεται ἀνίκα πίπτει,
ἁ δὲ χιὼν λευκὰ, καὶ τάκεται ἀνίκα παχθῇ:
καὶ κάλλος καλόν ἐστι τὸ παιδικὸν, ἀλλ᾽ ὀλίγον ζῇ
Et roſa pulchra eſt, & tempus ipſam tabefacit:
Et viola pulchra eſt in Vere, & citò ſeneſcit:
Album lilium eſt,marceſcit quando cadit:
Illa autem nix alba, & liquefit quando congelata eſt:
Et pulchritudo pulchra eſt puerilis, ſed parum viuit.

Item Idyllio triceſimo ſexto:

Μὴ καυχῶ· τάχα γάρ σε παρέρχεται ὡς ὄναρ ἥβη:
Α᾽ σταφυλὶς σταφίς ἐστι, καὶ ῥόδον αὖον ὀλεῖται.
Non gloriare, citò enim te præterit tãquã ſomniũ pubertas
Vua vua paſſa eſt, & roſa ſicca perit.

Deſpectus] Accuſatus eſt adhuc Alexis, deinceps ad eũ alliciendũ laudatur ex adiunctis Corydon, quòd ſit diues,muſicus,formoſus:diuitiæ probantur per ſpecies.
Mille meæ] Locus ex vndecimo Idyllio ſumptus eſt:

ἀλλ᾽ ὠυτὸς τοιοῦτος ἐὼν, βοτὰ χίλια βόσκω,
κ᾽ ἠκ τούτων τὸ κράτιστον ἀμελγόμενον γάλα πίνω,
τυρὸς δ᾽ οὐ λείπει μ᾽ οὔτ᾽ ἐν θέρει, οὔτ᾽ ἐν ὀπώρῃ,
οὐ χειμῶνος ἄκρῳ.
Sed ipſe talis cùm ſim,oues mille paſco,
Et ex iis optimum mulſum lac bibo:

Caſeúſque nō deficit me neque in æſtate neque in autūno,
Non hyemis extremitate.

Canto] Secundus laudis locus, de muſica quæ probatur collatione parium, quòd Corydon ſit muſicâ par Amphioni. Talis muſicæ ſuæ commendatio eſt Idyllio viceſimo quarto.

ἁδὺ δέ μοι τὸ μελίσδημα, καὶ ἢν σύριγγι μελίσδω,
κ᾽ ἢν αὐλῷ λαλέω, κ᾽ ἢν δώνακι, κ᾽ ἢν πανναύλῳ.
Dulcis autem mihi cantus, & ſi fiſtula cano,
Et ſi tibia loquor, & ſi calamo, & ſi fiſtula compacta.

Amphion] Amphion & Zethus filij Iouis ex Antiopa: Amphion Lydios modulos & citharam inuenit, ait Plinius libri ſeptimi capite quinquageſimo ſexto. Dircæus autem hîc dicitur à Dirce fonte Thebano, vt ait Probus. meminit Amphionis Horatius libro tertio carminum ode vndecima,

Mercuri, nam te docilis magiſtro
Mouit Amphion lapides canendo.

Et in arte poëtica:

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere ſono teſtudinis.

Actæo] id eſt litorali (ait Seruius:) nam Aracynthus mons eſt Thebanus litoralis, & *ἀκτὴ* græcum, tanquam tinè Acta dicitur apud Virgilium quinto AEneidos:

At procul in ſola ſecretæ Troades Acta
Amiſſum Anchiſen flebant.

Et ſeptima Verrina apud Ciceronem: Ipſe tamen cùm vir eſſet Syracuſis, vxorem eius parum poterat animo ſoluto ac libero tot in acta dies ſecum habere. Aracynthus tamē aliis eſt in Attica, aliis in Bœotia, aliis in Arcadia. Solinio & Solino mons eſt Acarnaniæ: quorum ſi ſentētia vera eſt, neceſſe eſt in tot regionibus cognominem eſſe montem. *Actæo*] non Athenienſi ait idem Seruius, quanuis *ἀκταῖς* dictæ ſint Athenæ, vel ad imperitiam paſtoritiam demonſtrandum ita dixit poëta contra rei veritatem, quod Theocritus ſæpe facit: quo genere priora illa de Tigri, Arari, Oaxe poſſunt accipi.

Nec ſum] Tertia laus à forma, quæ probatur adiuncta imagine & parium collatione, qualis eſt,ſed apertior, Idyllio viceſimo quarto plutimis verſibus. *Nec ſum*] Extenuatio eſt, qualis eſt pro Cælio Cicetonis. Vt eum nihil pœniteat non deformem eſſe natum. Locus autem eſt è ſexto Theocriti Idyllio:

καὶ γάρ θην οὐδ' εἶδος ἔχω κακόν, ὥς με λέγοντι.
ἦ γὰρ πρᾶν ἐς πόντον ἐσέβλεπον, ἦς δὲ γαλάνα.
Etenim ſanè neque formam habeo malam, vt me dicunt:
Etenim nuper in mare reſpexi, erat autem tranquillitas.

At hoc argumentum Seruio falſum eſt, ac negatur(ait) per rerum naturam fieri, vt in mari cõſpiciatur imago: & ruſticam imperitiã hîc decorè ſeruari, vt apud Theocritum. Cælius tamen Rhodiginus libri decimiquarti capite decimo, Seruio reſiſtit: licet mate in ſerenitate colorẽ ſibi trahat, & oleoſum pingue in eo ſupernatet, indéque imago reddi nequeat, vt in ſpeculo obnubilato: attamen placidum ventis mare ex Seneca interpretatur, cùm leuiter nec in vnam tantùm partem commouetur: & Lucianum citat, tranquillum mate ſpeculo cõparãtem. Atque eiuſdem libri capite nono ait oleoſum illud in mari, flatu Aquilonis diſcuti, vt Aquilone flante mare lucidius efficiatur.

O tantùm] Repetitur ſecunda laus de muſica: Si mecũ paſtoritiam vitam agete velis, Pani muſicâ ſimilis eris: collatio eſt ſimilium. *O tantùm*] Optatio. *Tibi*] quæ tu putas. *Humiles*] dixit anteà paupet tugurium.

Ceruos] Metaphora: dicuntur cetui in ædibus ruſticis, vbi ſingula extrema bacilla forcillatam habẽt figuram literę Y, à ſimilitudine cornuũ cetui, ait Varto de Lingua latina. *Hibiſco*] Poëtica Syntaxis, vt *It clamor cœlo* pro ad hibiſcum & ad cœlum: Eſt autem hibiſcus vel hibiſcũ, vt à quibuſdã ebiſcus, herba nõ diſsimilis maluæ, ait Theophraſtus, ſed folio maior cauléque piloſior. Plinius libri 19. capite quinto, Hibiſcũ à paſtinaca gracilitate diſtat, damnatum in cibis, ſed medicinæ vtile. Ecloga decima videtur pro iunco aut vimine accipi,

Et

-Et gracili fiſcellam texit hibiſco.

In ſyluis] *Syluestrem muſam, & Montibus & ſyluis,* fuit antea. *Pana*] πᾶν παντὸς vniuerſum dicitur, indéque inſtar vniuerſi pingitur hic deus. cornibus, ſolis radios & lunæ cornua oſtendit: facie rubra, ætherem: nebride in pectore ſtellata, ſtellas: inferiore parte hiſpida, virgulta & arbores: caprinis pedibus, ſolidam terram: ſeptem calamorum fiſtula, ſeptem planetarum harmoniã: curuo pede, annũ in ſe recurrentem: victus amore, quòd omnia vincit amor. Syringa enim amauit, & cùm eſſet auxilio terræ in calamũ cõuerſa, è calamo fiſtulam fecit: vide Seruium. *Pan*] Pana & Pan, polyptoton.

Pan] Anaphora. *Oues ouiúmque*] polyptoton.

Nec te] Prolepſis, quæ refellitur collatione parium.

Amyntas] Amyntas paſtoris nomen in Idyllio vltimo apud Theocritum. *Eſt mihi*] Continuatur laus muſicæ ex inſtrumento, inſtrumentíque & adiunctis & authore & adiuncta inuidia. *Diſparibus*] quarum ſunt aliis aliæ maiores. *Cicutis*] Cicuta herba venenoſa, de qua Plinius libri 25. capite 13. Cicuta quoque venenum eſt publica Athenienſium pœnaiñuiſa:

-Barbatum crede magiſtrum
Dicere, ſorbitio tollit quem dira cicutæ,

ait Perſius de Socrate: eius calamo conficiuntur etiam paſtoritiæ fiſtulæ, & ſic erit ecloga quinta,

Hac te nos fragili donabimus ante cicuta.

Quopacto fortaſsis hîc etiam videri poſsit à poëta dictum: Seruius tamen cicutæ nomine ait hîc ſignificari ſpatium inter nodos cannarum, vt fiſtula ſit ſeptem diſparibus internodiis cera fortaſſe compactis.

Damætas] nomen eſt paſtoris in Idyllio Theocriti ſexto. *Dono*] Idyllio quarto:

Δῶρον ἐμὶν νὶν ἔλειπεν,
Dono mihi ipſam reliquit.

Præterea] repetitur prima laus de diuitiis per varias ſpecies donorum: prima eſt de capreolis verſicoloribus copioſè lactentibus, amatis à Theſtyle: quæ noua ad-

iunćta ſunt. *capreoli*] Caprea ſylueſtris eſt capra, Martia.lib.13.

Pendentem ſumma capream de rupe videbis,
caſuram ſperes, decipit illa canes.

capreoli] locus è tertio Idyllio Theocriti:

ἦ μὰν τοι λευκὰν διδυματόκον αἶγα φυλάσσω,
τάν με καὶ ἁ Μέρμνωνος Ἐριθακὶς ἁ μελανόχρως
αἰτεῖ, καὶ δωσῶ οἱ, ἐπεὶ τύ μοι ἐνδιαθρύπτῃ.
certè quidem tibi albam gemellos parientem caprã ſeruo,
Quam me & Mecnonis Eritharis nigri coloris
Poſtulat, & dabo ei, quoniam tu mihi delitias facis.

Abducere] Orat abducere, vt abducat, figuratum ait Seruius.

Huc ades] Secunda ſpecies opum, è ſuauium herbarũ faſciculo per nymphas collecto. *Lilia*] poſtea decima ecloga erit,

Florentes ferulas, & grandia lilia quaſſans.

calathis] κάλαθος græcum eſt, latinum verò qualus vel qualum, quaſillus vel quaſillum. *Nymphæ*] νύμφη ſpõſa: & à veteribus agreſtia numina nymphæ dictæ, vt ναϊάδες, ἁμαδρυάδες, καὶ ὀρεστιάδες, καὶ λειμωνιάδες, fluminũ, arborum, montium, pratorum incolæ: quæ dictæ ſunt etiã nutrices Liberi patris: ἁμαδρυάδες tamen propriè quæ cum arboribus & naſcuntur & intereunt: ſicuti δρυάδες quæ inter arbores viuunt. *Pallentes*] Plinius libri 21. ca. 6. ait violas alias eſſe purpureas, alias luteas, alias albas, florũ autẽ primũ Ver nuntiãtiũ ſunt albæ violæ, ait eiuſdẽ libri capite vndecimo. *Papauera*] fuiſſe autem in honore papauer apud Romanos ſẽper, indicio eſt Tarquinius Superbꝰ, qui legatis à filio miſſis decutiẽdo papauera in horto altiſſima, ſanguinariũ illud reſponſum facti ambage reddidit, ait Plinius lib. 19. ca. 8. Idyllio 11.

-ἔφερον δέ τοι ἢ κρίνα λευκὰ,
ἢ μάκων' ἁπαλὰν ἐρυθρὰ πλαταγῶνι' ἔχοισαν.
-Ferrem autem tibi vel lilia alba,
Vel papauer tenerum rubra folia habens.

Narciſſum] Narciſſus flos eſt non à fabuloſo puero in

eum conuerſo, vt ait Seruius, ſed à narce, id eſt torpore nominatus, vt affirmat Plinius libri 21. capite 19. cùm caput grauet: Ruellius ait apud nos in montibus frequentem eſſe, ruſticis tamen incognitum, & ſine nomine. *Anethi*] Anethum herba boni odoris. Plinius libri 20. capite 18. Anethum quoque ructus mouet, tormina ſedat, aluum ſiſtit. Idyllio ſeptimo:

κ' ἠγὼ τῆνο κατ' ἆμαρ ἀνήθινον ἢ ῥοδόεντα
ἢ καὶ λευκοΐων ςέφανον περὶ κρατὶ φυλάσσων.

Et ego illo in die anethinam, vel roſeam,
Vel violaceam coronam circa caput ſeruans.

Caſia] frutex & caſia eſt, iuxta cinnami campos naſcitur, amplitudine trium cubitorum ait Plinius libri 12. capite 19. Virgilius tamen hîc herbam facit, vt Seruius interpretatur: an hîc etiã paſtoris ἁμάρτημα fuerit: quidam tamen caſiam faciunt aliam herbam, aliam fruticem: fruticem verò caſiam tum aromatitem, quam officinæ vulgò canellam vocant, tum fiſtulam ligneam quã caſſam. *Mollia*] Plumei tactus, ait Seruius, ad hyacinthum reſpiciens. *Luteola*] lutum prima longa quibuſdã videtur herba eſſe, qua tingitur chryſocolla,

Iam crocco mutabit vellera luto,

erit ecloga quarta. *Calthæ*] calendulam vulgò nominant, Franci ſolſiam, cuius folia olent non flores ait Plinius libri 21. capite 6. *Ipſe*] Amplificatur proxima doni ſpecies variis fructibus & ramis. *Cana*] Periphraſis eſt cydoneorum, vel (vt latini loquuntur) cotoneorũ, ex adiuncta canicie: ſunt enim præſtãtiſſimi odoris quæ ſunt candidiora ait Plinius libri 21. capite 6. item ex lanugine. *Nuces*] Nux genus eſt, ſignificat enim omnem fructum tectum duro cortice: ſpecies ſunt auellanæ, amygdalæ, iuglandes, caſtaneæ. *Cerea*] cerei coloris aut mollia, vt ait Horatius:

Cerea Telephi laudat brachia.

Et idem,

Cereus in vitium flecti.

Pomo] Pomum item eſt generalius nuce, & omnẽ ar-

boris fructum eſui aptum ſignificat,ſeu mollem ſeu durum. *Et vos*] Apoſtrophe. *Lauri*] Synecdoche totius pro parte, nam ramum laureum ſignificat.

Myrte] altera apoſtrophe, vbi ſimilis eſt ſynecdoche. Idyllio viceſimo locus eſt non abſimilis de variis floribus,narciſſo,hyacintho,viola,ſerpyllo. *Ruſticus*] reuocatio ſuiipſius ex adiuncto faſtu & deſpectu munerum,& ex maiori, quòd Iolas donet largiùs : Apoſtrophe eſt. *Eheu*] Exclamatio, qua duobus ſimilibus Alexidis faſtum coarguit : placet enim potiùs quàm ſtultitiam Corydonis,cùm paulò pòſt amens Alexis dicatur.

Eheu] Idyllio tertio,

ὤ μοι ἐγὼ τί πάθω;

Heu mihi ego quid patior?

Auſtrum] Auſter humidus & calidus eſt, & mortui hominis capite flores efflãte vulgo pingitur à Coſmographis:Zephyro autem contrà flores naſcuntur:græcè autem *νότος* dicitur,& *νοτὶς* eſt humor,& latinè ſcribitur à quibuſdam Hauſter,velut ab hauriendo dicatur.

Aprum] qui luto delectatur,

Sæpe volutabris pulſos ſylueſtribus apros
Latratu turbabis agens- tertio Georgico.

Quem fugis?] Exclamatio,qua reuocatur adhortatio & paribus premitur. *Paris*] cùm de forma dearum iudicauit.Dardanius autem dicitur à Dardano Electræ Iouíſque filio,Ilij primo conditore,vnde poſtea Paris. Tale eſt Idyllio octauo,

-λέγε Μίλων,
ὡς πρώτευς φώκας,καὶ θεὸς ὤν,ἔνεμε.

-Dic Milon
Quòd Proteus Phocas,& deus,paſcebat.

Et Idyllio viceſimo quarto ſuaſionis conſimilis argumenta ſunt bubulci,quod etiam Dionyſius & Venus & Luna & Rhea & Saturnides & Cybele ruſticos amarũt.

Pallas] permiſſio ex diſſimili : Pallas inter multa alia dicitur etiam inuentrix ædificiorum : & ἐρυσίπολις καὶ πολιὰς, cuſtos ciuitatum dicitur. *Nobis*] Antapodoſis

colla-

collatione ſimilium illuſtrata: vbi etiam colligitur è ſpecialibus generale. *Torua*] κλίμαξ ſeu gradatio trium graduum. *Torua*] Locus ex Theocrito, Idyllio 11.

Α᾽ αἶξ τὸν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει,
Α᾽ γέρανος τ᾽ ὤροτρον. ἐγὼ δ᾽ ἐπὶ τὶν μεμάνημαι.
Capra cytiſum, lupus capram ſequitur,
Grus aratrum: ego in te depereo.

Aſpice] altera ſui reuocatio per Apoſtrophen ex adiũctis tẽporis & omiſſi negotij. Quintilianus in his ſignis ſynecdochen tropũ ſtatuit ineptè, cùm propriis verbis omnia dicta ſint, nec ſignificationis propriæ hîc vlla fiat mutatio. *Aſpice*] Periphraſis eſt noctis, ꝓ quo fuit antè:

Et iam ſumma procul villarum culmina fumant.

Et Sol] Pro quo antè,

Maioréſque cadunt altis de montibus vmbræ.

Me tamen] Quanuis ſolis ardor aduẽtu noctis remittatur. *Quis enim*] Ratio ex adiunctis: qualis de Phædria apud Terentium:

Here, quæ res in ſe conſilium, neque modum habet vllum,
Eam conſilio regere non potes.

Ah corydon] Locus eſt totus è Cyclope Theocriti, Idyllio vndecimo:

ὦ κύκλωψ, κύκλωψ, πᾶ τὰς φρένας ἐκπεπότησαι;
αἴκ᾽ ἐνθὼν ταλάρως τε πλέκοις καὶ θαλλὸν ἀμάσας,
ταῖς ἄρνεσσι φέροις, τάχα κὲν πολὺ μᾶλλον ἔχοις νοῦν.
τὰν παρεοῖσαν ἄμελγε.
O Cyclops, Cyclops, quò mentibus euolaſti?
Vtinam veniens calathóſque plicares, & ramum metens
Agnis ferres, fortè multò magis haberes mentem.
Præſentem mulge.

Corydon, corydon] Epizeuxis. *Semiputata*] Geminata negligentia, ſemiputata vitis & vlmus frondoſa: nanque vtrunque obeſt: vnde eſt Georgico ſecundo:

- Bis vitibus ingruit vmbra.

Eſt autem vlmus vitibus amica, ideóque illis maritatur, vt ampliſſimè percipietur in Georgicis.

Quin tu] Proponitur amoris remedium ex contrariis

negotio & ſpe alterius amoris. *Detexere*]tale quiddam Idyllio primo:

> αὐτὰρ ὅγ᾽ ἀνθερίκεσσι καλὰν πλέκει ἀκριδοθήραν,
> σχοίνῳ ἐφαρμόσδων,
> *At hic culmis pulchram texit fiſcellam,*
> *Iunco adaptans.* Ecloga decima idẽ ferè repetitur.

Inuenies] Locus hic etiam ex Cyclope,

> -τί τὸν φεύγοντα διώκεις;
> εὑρήσεις γαλάτειαν, ἴσως καὶ καλλίον᾽ ἄλλαν.
> -*Quid fugientem perſequeris?*
> *Inuenies Galateam, fortè etiam pulchriorem aliam.*

ECLOGA TERTIA.
Palæmon.

Menalcas. Damœtas. Palæmon.

ME. *Dic mihi Damœta, cuium pecus? an Melibœi?*
DA. *Non, verùm Ægonis: nuper mihi tradidit Ægon.*
ME. *Infœlix ô ſemper ouis pecus: ipſe Neæram*
Dum fouet, ac, ne me ſibi præferat illa, veretur,
Hic alienus oueis cuſtos bis mulget in hora:
Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.
DA. *Parciùs iſta viris tamen obiicienda memento.*
Nouimus & qui te tranſuerſa tuentibus hircis,
Et quo, ſed faciles Nymphæ riſere, ſacello.
ME. *Tum credo, cùm me arbuſtum videre Myconis:*
Atque mala vites incidere falce nouellas.
DA. *Aut hîc ad veteres fagos, cum Daphnidis arcum*
Fregiſti, & calamos, quæ tu peruerſe Menalca
Et cùm vidiſti puero donata, dolebas:
Et ſi non aliquà nocuiſſes, mortuus eſſes.

Quid domini facient, audent cum talia fures? ME.
Non ego te vidi Damonis peſſime caprum
Excipere inſidiis, multùm latrante Lycisca?
Et cùm clamarem: Quò nunc ſe proripit ille?
Tityre coge pecus: tu poſt careƈta latebas.
An mihi cantando victus non redderet ille, DA.
Quem mea carminibus meruiſſet fiſtula caprum?
Si neſcis, meus ille caper fuit, & mihi Damon
Ipſe fatebatur: ſed reddere poſſe negabat.
Cantando tu illum? aut vnquam tibi fiſtula cera ME.
Iuncta fuit? non tu in triuiis indoƈte ſolebas
Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen?
Vis ergo inter nos quid poſſit vtérque viciſſim DA.
Experiamur? ego hanc vitulam (ne fortè recuſes,
Bis venit ad mulƈtram, binos alit vbere fœtus)
Depono: tu dic mecum quo pignore certes.
De grege non auſim quicquam deponere tecum: ME.
Eſt mihi nanque domi pater, eſt iniuſta nouerca:
Bíſque die numerant ambo pecus, alter & hædos.
Verum id, quod multò tute ipſe fatebere maius,
(Inſanire libet quoniam tibi) pocula ponam
Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis:
Lenta quibus torno facili ſuperaddita vitis,
Diffuſos hedera veſtit pallente corymbos.
In medio duo ſigna, Conon: &, quis fuit alter?
Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem:
Tempora quæ meſſor, quæ curuus arator haberet.
Necdum illis labra admoui, ſed condita ſeruo.
Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit: DA.
Et molli circum eſt anſas amplexus acantho:

Orpheáque in medio poſuit, ſyluáſque ſequentes.
Necdum illis labra admoui, ſed condita ſeruo.
Si ad vitulam ſpectes, nihil eſt quòd pocula laudes.

ME. *Nunquam hodie effugies: veniam quocunque vocaris:*
Audiat hæc tantùm, vel qui venit, ecce, Palæmon.
Efficiam poſthac ne quenquam voce laceſſas.

DA. *Quin age, ſiquid habes, in me mora non erit vlla:*
Nec quenquam fugio. tantùm vicine Palæmon,
Senſibus hæc imis (res eſt non parua) reponas.

PA. *Dicite, quandoquidem in molli conſedimus herba:*
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos:
Nunc frondent ſyluæ, nunc formoſiſſimus annus.
Incipe Damœta, tu deinde ſequère Menalca:
Alternis dicetis, amant alterna Camœnæ.

DA. *Ab Ioue principium Muſæ, Iouis omnia plena:*
Ille colit terras, illi mea carmina curæ.

ME. *Et me Phœbus amat, Phœbo ſua ſemper apud me*
Munera ſunt lauri, & ſuauè rubens hyacinthus.

DA. *Malo me Galatea petit laſciua puella:*
Et fugit ad ſalices, & ſe cupit antè videri.

ME. *At mihi ſeſe offert vltrò meus ignis Amyntas:*
Notior vt iam ſit canibus non Delia noſtris.

DA. *Parta meæ Veneri ſunt munera, namque notaui*
Ipſe locum, aëriæ quò congeſſere palumbes.

ME. *Quod potui, puero, ſyluestri ex arbore lecta*
Aurea mala decem miſi, cras altera mittam.

DA. *O quoties, & quæ nobis Galatea locuta eſt!*
Partem aliquam venti, Diuûm referatis ad aures.

ME. *Quid prodeſt, quòd me ipſe animo nō ſpernis Amynta,*
Si, dum tu ſectaris apros, ego retia ſeruo?

Phyllida

Phyllida mitte mihi, meus eſt natalis, Iola: DA.
Cùm faciam vitula pro frugibus, ipſe venito.
Phyllida amo ante alias: nam me diſcedere fleuit, ME.
Et longum Formoſe vale, vale, inquit, Iola.
Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres, DA.
Arboribus venti, nobis Amaryllidis iræ.
Dulce ſatis humor, depulſis arbutus hœdis: ME.
Lenta ſalix fœto pecori, mihi ſolus Amyntas.
Pollio amat noſtram, quanuis ſit ruſtica, muſam: DA.
Pierides, vitulam lectori paſcite veſtro.
Pollio & ipſe facit noua carmina, paſcite taurum: ME.
Iam cornu petat, & pedibus qui ſpargat arenam.
Qui te Pollio amat, veniat, quò te quoque gaudet: DA.
Mella fluant illi, ferat & rubus aſper amomum.
Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui: ME.
Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos.
Qui legitis flores, & humi naſcentia fraga, DA.
Frigidus, ô pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.
Parcite oues nimiùm procedere, non bene ripæ ME.
Creditur, ipſe aries etiam nunc vellera ſiccat.
Tityre, paſcentes à flumine reiice capellas: DA.
Ipſe, vbi tempus erit, omneis in fonte lauabo.
Cogite oues pueri, ſi lac præceperit æſtus, ME.
Vt nuper, fruſtra preſſabimus vbera palmis.
Eheu, quàm pingui macer eſt mihi taurus in aruo: DA.
Idem amor exitium eſt pecori, pecoríſque magiſtro.
His certè neque amor cauſa eſt, vix oſſibus hærent: ME.
Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.
Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo) DA.
Treis pateat cœli ſpatium non amplius vlnas.

ME. *Dic quibus in terris inſcripti nomina regum*
Naſcantur flores, & Phyllida ſolus habeto.
PA. *Non: noſtrum inter vos tantas componere lites:*
Et vitula tu dignus, & hic, & quiſquis amores
Aut metuet dulceis, aut experietur amaros.
Claudite iam riuos pueri, ſat prata biberunt.

IN TERTIAM ECLOGAM.

HAEC ecloga paſtorũ iurgia primò proponit, tum muſicum certamen, poſtremò par de vtroque iudicium.

Dic mihi] deſpicit veluti mercenariũ, ſed repungitur è diſſentaneis obiecto riuali domino. *Dic mihi*] Ex quarto Idyllio ſumptum eſt,

BA. εἰπέ μοι ὦ κορύδων, τίνος αἱ βόες; ἦ ῥα φιλώνδα;
KO. ὐκ, ἀλλ' Αἴγωνος, βόσκειν δέ μοι αὐτὰς ἔδωκεν.
Dic mihi ô corydon, cuius boues? an Philondæ?
Non, verùm AEgonis, paſcẽdas autem mihi ipſas dedit.

Infœlix] Exclamatio qua accuſat ex effectis & AEgonem libidinis, & Damœtam furti: quarto Idyllio,

BA. δειλαῖαι γ' αὗται, τὸν βωκόλον ὡς κακὸν εὗρον.
KO. ἦ μὰν δείλαιαί γε, καὶ ὐκέτι λῶντι νέμεσθαι.
Miſeræ hæ, quòd malum bubulcum inuenerint.
Certè quidem miſeræ, & non ampliùs volunt paſcere.

Ouis] Synecdoche pro ouium, vt pecus pro grege ibidem: & ante,

Cuium pecus?

Mulget in hora] Quod tamen per totum diem vix poteſt in fœcundis ouibus fieri. De hoc in Georgicis libro tertio,

Qui ſurgente die mulsêre horiſque diurnis:
Nocte premunt.

4. Idyl. ἦ πάψι κρύβδαν τὺ ποθέσπερα πάσας ἀμέλγεις
Certè vbi ipſas clam veſperè omnes mulges?

Et ſuccus]

Et ſuccus] Macerantur oues; ſuccus enim eſt humor quo alitur animal: hinc corpus ſolidũ & ſucci plenũ ait Terẽtius in Eunucho. Et Varro ſecũdo de re Ruſtica vetat dum nutricantur agni, matres mulgeri, quia plus lanæ ferunt, & agnos plures: & lex Iuſtiniani, ea de re ait, *Ἐὰν εὑρεθῇ ποιμὴν ἀμέλγων τὰ πρόβατα λάθρα τοῦ κυρίου αὐτοῦ, καὶ πιπράσκων, τυπτόμενος τοῦ μισθοῦ στερείσθω*. Si deprehẽſus ſit opilio oues mulgere clam domino ſuo, & vendere, verberatus mercéde priuetur. *Parciùs*] Reponitur ex adiunctis probrum turpioris libidinis, & aliis adiũctis exaggeratur. *Qui te*] Ellipſis, vbi decenter pudoris gratia verbum turpitudinis reticetur, vt Quintilianus libri noni capite tertio monuit. *Hircis*] quos conſtat libidinoſos eſſe, vt ſi coëuntes videant, indignentur, & in eos impetum faciant. Eſt autem hircus menſium ſeptem ſatis habilis ad procreandum, quoniam immodicus libidinis, dum adhuc vberibus alitur, matrem ſtupro ſuperuenit, & ideo celeriter & ante ſex annos cõſeneſcit, quòd immatura Veneris cupidine primis pueritiæ temporibus exhauſtus eſt: Columella libri ſeptimi capite ſexto. *Tranſuerſa tuentibus*] periphraſis eſt pro indignantibus. *Hircis*] alij hirquis, id eſt oculorum angulis, ait Seruius ex Suetonio: at Pierius putat & hircis & hirquis idem ſignificari, & eiuſdem nominis orthographiam diuerſam eſſe. *Tum credo*] Ironia, qua ex effectis crimen capitis obiicitur de arbuſtis & vitibus inciſis. *Arbuſtum*] hac etiam de re lex Iuſtiniani, *οἱ δένδρα καὶ μάλιστα ἀμπέλους τέμνοντες, ὡς λῃσταὶ κολάζωνται.* Qui arbores & maximè vites incidunt, latronis more puniãtur. fuit & omnino cura arborum legibus priſcis, cautúmque eſt duodecim tabulis, vt qui iniuriâ cecidiſſet alienas, lueret in ſingulas æris xxv. ait Plinius libri decimi ſeptimi capite primo. *Myconis*] nomen eſt ex Idyllio quinto. *Aut hic*] reponitur ex inuidioſis factis accuſãtio, loci & perſonæ adiunctis amplificata.

Arcum] habent etiam ſua arma paſtores,

Armáque, amycleúmque canem, creſſámque pharetram,

vt eſt tertio Georgico. *Dolebas*] Idyllio quinto,

> -τὺ δ' ὦ κακὲ καὶ τόκ' ἐτάκευ
> βασκαίνων.
> -*Tu autem ò male & tunc liqueſiebas*
> *inuidens.*

Quid] Exaggerat audaciam domini, collatione minorum, vbi fures per metonymiam ex adiunctis pro ſeruis accipe. *Non ego*] obiicitur aliud furtum, & variis circunſtantiis exaggeratur: locus autem eſt Idyllio quinto ſimilis,

> οὐκ ἀπὸ τᾶς κράνας, σίττ' ἀμνίδες; οὐκ ἐσορῆτε
> τόν μευ τὰν σύριγγα πρῴαν κλέψαντα Κομάταν;
> *Non à fonte heus agnæ? non inſpicitis*
> *Meam fiſtulam paulò antè furantem Comatam?*

Excipere] Excipere inſidiis, inſidioſè furari.

Lyciſca] à λύκος, id eſt lupus, diminutiuum λυκίσκος, & nũc lyciſca: canes autẽ apud Indos è tigribus eniã concipiunt, & ob id in ſyluis coitus tempore alligant fœminas: hoc idem è lupis Galli, quorum greges ſuum quiſque ductorem è canibus & ducem habent, ait Plinius libri octaui capite quadrageſimo. Idyllio ſexto:

> -πάλιν ἅδ' ἴδε τὰν κύνα βάλλει,
> ἅ τοι τᾶν οἴων ἕπεται σκοπός· ἁ δὲ βαΰσδει
> εἰς ἅλα δερκομένα.
> -*Iterum hæc ecce canem percutit,*
> *Quæ te ouium ſequitur cuſtos: hæc autem latrat*
> *In mare aſpiciens.*

Quo nunc] proſopopœia. *Carecta*] Carex herba acuta & duriſſima, ait Seruius, ſparto ſimilis.

> *Et carice paſtus acuta,* tertio Georgico.

Ex ea (ait Ruellius) molliſſimę texuntur cathedræ, folio ferè arundinis, vliginoſo & paluſtri loco plurima. Hinc carectum, locus iis herbis conſitus: quidam putant eſſe gladiolum: ſed interpretatio Seruij repugnat.

An mihi] defenditur iure factum:

> *Quod victor merueram, iure cœpi:*
> *At victor capram merueram:*

Iure

Iure itaque cœpi.

Propoſitionis ſententia primò comprehenditur.

Si neſcis] Aſſumptio eſt affirmata teſtimonio Damonis. *Cantando*] Reſiſtitur aſſumptioni inficiatione cauſæ & factis, quæ muſici certaminis præparatio eſt.

Tu illum] ἄμουσος muſicum viciſti? intellige: id enim emphaſis & ellipſis volunt. *Fiſtula*] Similis eſt quinto Idyllio locus,

> τὰν ποίαν σύριγγα; τὺ γάρ πόκα δῶλε Συβάρτα
> ἐκτάσω σύριγγα; τί δ' οὐκέτι σὺν Κορύδωνι
> ἀρκεῖ τοι καλάμας αὐλὸν ποππύσδεν ἔχοντι;
> *Quam fiſtulam? tu enim quando ſerue Sybarita*
> *Poſſediſti fiſtulam? quid non adhuc cum Corydone*
> *Sufficit tibi ſtipulæ foramen ſibilare habenti?*

Cera] ſic antea,

> *Pan primus calamos cera coniungere plures*
> *Inſtituit.*

Indocte] ἄμουσον appellat indoctum. *Stridenti*] malè ſonanti, ſicuti ſonant colliſi rudentes: ſtridor enim illic eſt proprius: vt AEneidos tertio,

> *-Stridórque rudentum.*

Miſerum] Seruius flebile interpretatur, qualis fiebat in triuiis & quadriuiis á paſtoribus in honorē Dianæ, eſt Proſerpinæ, ad imitationem Cereris, eam inquirentes. Poteſt etiam Miſerum pro inepto & indocto accipi: vt mendicorum more & vrbicorum poëtarum, Damœtas in triuiis cecinerit. *Vis ergo*] Occaſione proximi conuiuij prouocatur Menalcas ad cantandum, & victoriæ præmium proponitur, & effectis commendatur. Similis locus eſt octauo Idyllio,

> χρήσδεις δ' ὦν ἐσιδεῖν, χρήσδεις καταθεῖναι ἄεθλον;
> *Vis autem igitur inſpicere, vis deponere præmium?*

Quo ex loco etiam ſequentia deducta ſunt.

Vitulam] à viridiore ætate etiam poſt partum dicuntur vaccæ, ait Seruius. Simile eſt Idyllio primo:

> Αἶγα τέ τοι δωσῶ διδυματόκον ἐς τρὶς ἀμέλξαι,
> Ἃ δύ' ἔχοισ' ἐρίφως ποταμέλγεται ἐς δύο πέλλας.

Capramque tibi dabo,gemellos enixam ad ter mulgere,
Quæ duos habens hœdos,admulgebitur in duas mulctras.
Mulctram] mulctra & mulctrum eſt lac emulſum aut tēpus mulgendi. *Vitulam*] deponam vt ſcias mihi peculium eſſe. *De grege*] proponit item ſuum præmium,ſed exornat diſſimilitudine:non auſim deponere quicquam de grege, ſed pocula : propoſitionis ratio eſt è moroſis poſſeſſoribus patre & nouerca, qui paſtoris audaciæ repugnant. *Iniuſta*] Generale eſt epitheton nouercarum: ſimile eſt in Idyllio octauo,

ὀ θησῶ ποκα ἀμνὸν,ἐπεὶ χαλεπὸς θ' ὁ πατήρ μου
χ' ἁ μάτηρ, τὰ δὲ μᾶλα ποθέσπερα πάντα ἀριθμεῦντι.
Non ponam vnquā agnum,quoniā difficiliſq; pater meus
Et mater,has autem oues ad veſperam omnes numerant.

Verùm] Antapadoſis ad commendationem pignoris è teſtimonio Damœtæ, ex materia operis atq; effectore, item adiunctis. *Inſanire*] canere, ait Seruius : quia poëtæ inſani finguntur : quod non placet, ſed inſanire modò potiùs Menalcæ videtur Damœtas,quòd ἄμουσος aduerſus muſicū certare audeat. *Fagina*] Materia operis veteribus laudata:fagis enim pectines tranſuerſi in pulpa:Apud antiquos inde in vaſis honos.Marcus Curius iurauit ſe ex præda nihil attigiſſe præter guttum faginum,quo ſacrificaret,Plinius libri decimiſexti,capite triceſimo ſeptimo:& fagutalis Iuppiter libri decimiſexti,capite decimo eidem Plinio dicitur. *Diuini*] Metaphora pro excellentis, præſtantis:

Ἔνδοθεν δὲ γυνά τις,θεῶν δαίδαλμα τέτυκται,
Intus autem mulier quædam deorum opus fabricata eſt:
Idyllio primo.

Lenta] Similis eſt primo Idyllio locus,

τῶ περὶ μὲν χείλη μαρύεται ὑψόθι κισσός,
κισσὸς ἑλιχρύσῳ κεκονισμένος·
Huius circum quidem labra voluitur ſupernè hedera,
Hedera helichryſo ornata.

Veſtit] iis autem tabulis,interiores templi partes veſtiebantur,ait Cicero ſimili metaphora, ſexta Verrina.

Similis

Similis locus eſt Idyllio viceſimo,

Ἐν τῷ δαίδαλα πολλὰ τετεύχατο μαρμαίροντα.
Ἐν μὲν ἔην χρυσοῖο τετυγμένη Ἰνάχου Ἰὼ
εἰσέτι πόρτις ἐοῦσα-
In hoc ingenioſa multa fabricata erant reſplendentia.
In quidem erat auro facta Inachi Io
Adhuc vitula exiſtens-

Conon] Conon non Athenienſis dux, ſed potiùs mathematicus AEgyptius accipiẽdus eſt, de quo Catullus,

Omnia qui magni deſpexit ſydera mundi.

Et paulò pòſt.

Idem me ille Conon cælesti numine vidit
Et Berenicæo vertice cæſariem.

Et cuius ad Doſitheum de tetragoniſmo meminit Archimedes, vt Valla primo Geometriæ ſcribit.

Et quis] Paſtoralis decori gratia, hæc imperitia vel obliuio fingitur: quòd paſtores de philoſophis non admodum audiant. Periphraſis autem eſt inſignis coſmographi & aſtrologi, qualis fuit Eudoxus aut Aratus aut Archimedes: horum enim aliquem ſuſpicari potes.

Radio] Radius ſplendor à ſole micans, à cuius ſimilitudine radius geometricus, quo lineamenta deſcribuntur: Humilem homunculum à puluere & radio excitatum, ait de Archimede Cicero quinta Tuſculana: & radius aſtronomicus, quo ſydera ſpectantur:

-cælique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſydera dicent,

Sexto AEneidos. Dicuntur etiã radij rotarum, & quibus raditur menſura, & quibus textores telam texunt.

Tempora] de quibus primo Georgico abundè.

Curuus arator] Arator niſi incuruus, præuaricatur, ait Plinius libri decimioctaui capite decimonono.

Admoui] hypallage, pro nondum admoui labris.

vt *-Dare claſſibus auſtros.*

Et nobis] Deriſio eſt Menalcæ, ex poculis per omnia ſimilibus, nec tamen paribus vitulæ: ratio itaque minorum. *Acantho*] Acanthus topiaria & vrbana herba eſt,

claro longóque folio, crepidines marginum, aſſurgentiúmque puluinorum thoros veſtiẽs, Plinius libri viceſimi ſecundi capite viceſimo ſecundo: eadem herba in corynthijs & pretioſis veſtibus ideo exprimitur: Brancham vrſinam vel hircinam vulgò nominant: 4. ecloga,

Miſtáque ridenti colocaſia fundet acantho:

quarto Georgico,

Ille comam mollis tantùm tondebat acanthi:

Et primo AEneidos,

Et circumtextum crocco velamen acantho:

Simile eſt primo Idyllio:

πάντα δ' ἀμφὶ δέπας περιπέπταται ὑγρὸς ἄκανθος,
αἰπολικόν τι θάημα.

Vbique verò circum pateram extenditur mollis acanthus,
Paſtorale quoddam miraculum.

Orpheáque] nota eſt Orphei fabula, quantùm muſica valuerit,

Nec non Threicius longa cum veſte ſacerdos,
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum,

Vt eſt ſexto AEneidos: & quomodo feras traxerit, vt Horatius ait in arte:

Sylueſtres homines ſacer interpréſque deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus:
Dictus ob id lenire tigres rapidóſque leones.

Et hîc etiam ſyluas dicitur traxiſſe, & ſexto AEneid. ab inferis coniugem excitaſſe:

Si potuit manes arceſſere coniugis Orpheus.

Octauo Idyllio Daphnis Menalcam ſic remordet, dum fiſtulam, per omnia eius fiſtulæ ſimilem proponit.

Nec dum illis] locus è primo Idyllio:

οὐδέ τί πω ποτὶ χεῖλος ἐμὸν θίγεν, ἀλλ' ἔτι κεῖται
ἄχραντον.

Neque dum quicquã labrum meũ attigit, ſed adhuc iacet
Intactum.

Vt autem hic verſus,

Necdum illis labra admoui, ſed condita ſeruo,

bis dicitur: ſic octauo Idyllio repetitur,

λευκὸν κηρὸν ἔχοισαν ἴσον κάτω, ἴσον ἄνωθεν.
Albam cerã habentẽ æqualẽ deorſum, æqualem ſurſum.

Nunquam hodie] Accipitur certaminis quælibet conditio, & iudex editur, & Damœtas minus terretur: ſic Idyllio quinto conſtituitur Morſon iudex Laconis & Comatæ, & Idyllio octauo caprarius iudex Daphnidis & Menalcæ. *Palæmon*] poſteà fuit Grammaticus: de quo Suetonius in libello de claris Grãmaticis: Palæmõ memoria & facilitate ſermonis, & extemporali verſuum facultate præſtans, qui nomen ſuum in Bucolicis non temerè poſitum diceret, ſed præſagiente Virgilio, fore aliquando omnium poëtarum & poëmatum iudicem Palæmonem: Fuit verò tam arrogãs, vt Varronem, porcum appellaret, ſecúmque natas & interituras literas.

Quin age] accipitur iudex, & adiunctis conciliatur, quòd vicinus: tum ad cognoſcendum excitatur, quòd res non parua. *Vicine*] *vel vicinitas tua, quod ego in propinqua amicitiæ parte puto*, ait Terentius. *Senſibus*] metaphora à corpore ad animum: ſic de oratore Cicero ait: dicendo ſenſus hominũ mentéſq; pertractare: & in Legibus: Ineſt neſcio quid in animo & latet in ſenſu meo.

Dicite] Inuitatio ad cantandum ex adiunctis & loci & tẽporis, quale ferè apud Ciceronem in Dialogis deorum ſeruatur. Primo de Oratore platanus eſt, in cuius vmbra diſſeritur: de Legibus inter proceriſſimas populos, & in viridi opacáque ripa fluminum ad auium etiam concentum diſſeritur: & de hoc iam prima ecloga dixi. *Nunc*] Nunc ter iteratum initiis, facit anaphoram. *Formoſiſsimus*] metaphora. *Incipe*] proponit Amœbæi carmina legem: ſic enim alternum, mutuum, reciprocum dicitur ἀμοιβαῖον, ἀπὸ τοῦ ἀμείβεσθαι. Ratio autem petitur ex coniugatis: alternis, vicibus intellige, dicetis, quia muſæ amant alterna. Idyllio nono,

βουκολιάσδεο Δάφνι, τὺ δ' ᾠδᾶς ἄρχεο πρᾶτος,
ᾠδᾶς ἄρχεο πρᾶτος, ἐφεψάσθω δὲ Μενάλκας.
Canta Daphni, tu autem cantum incipe primus,
Cantum incipe primus: inſequatur autem Menalcas.

Ab Ioue] Principium ſumitur à numinis inuocatione: Ratio eſt ex adiunctis, quòd maximus ſit, & curet res humanas. Sic Idyllio decimo ſeptimo,

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, καὶ εἰς Δία λήγετε μοῖσαι.
Ab Ioue incipiamus & in Iouem deſinite muſæ.

Seruius tamen mauult ab Arato deducere.

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν
Ἄρρητον, μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί,
πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί, μεστὴ δὲ θάλασσα,
καὶ λιμένες, πάντη δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες·
τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.
Ab Ioue incipiamus, hunc neque vnquam viri omittimus
Indictum: plenæ verò Iouis omnes quidem viæ,
Omnes verò hominum conuentus, plenum & mare,
Et prata: vbique autem Ioue vtimur omnes:
Huius enim genus ſumus.

Fuit autem ſolenne veteribus præfari diuos: hinc AEneidos decimo,

Præfatus diuos ſolio ſic infit ab alto.

Ioue Iouis] item, *Ille illi*] polyptoton. *Colit*] amat, vt primo AEneidos, *-poſthabita coluiſſe Samo.*

Curæ] ſic antè de Pane,

Pan curat oues ouiúmque magiſtros.

Et me] reponitur præterea ſecundum numen ſtudioſum etiam Menalcæ: ratio eſt ex effectis Menalcæ, qui colat Apollinem. *Phœbus Phœbo*] polyptoton: ſimile eſt Idyllio quinto,

ταὶ μῶσαι με φιλεῦντι πολὺ πλέον ἢ τὸν ἀοιδὸν
Δάφνιν, ἐγὼ δ' αὐταῖς χιμάρως δύο πρᾶν ποκ' ἔθυσα.
Muſæ me diligunt multò plus quàm cantorem
Daphnim: ego autem ipſis capellas duas antè aliquando
ſacrificaui.

Et ibidem rurſus,

καὶ γάρ μ' ὡπόλλων φιλέει μέγα, καὶ καλὸν αὐτῷ
κριὸν ἐγὼ βόσκω· τὰ δὲ κάρνεα καὶ δὴ ἐφέρπει.
Etenim Apollo me diligit magnoperè, & bonum ipſi
Arietem ego paſco, illa autem carnea & iam aduentant.

Hyacinthus] Seruius iam dixit eſſe vaccinium : & eum Hermolaus Barbarus,& Ruellius ſecuti ſunt.

-molli fultus hyacintho, ſexta ecloga.
Ferrugineos hycinthos, 4 . Georgico,

id eſt cæruleos. *Malo*] Opponuntur amores ex amicæ factis,qualis eſt quinto Idyllio locus:

βάλλει καὶ μάλοισι τὸν αἰπόλον· ἁ κλεαρίστα
τὰς αἶγας παρελῶντα,καὶ ἁδύ τι ποππυλιάσδει.
Percutit & malis caprarium Clearista
Capras expellentem,& ſuauè ſibillando fugit.

Item ſexto Idyllio,

βάλλει τοὶ πολύφαμε τὸ ποίμνιον ἁ γαλάτεια
μάλοισιν,δυσέρωτα τὸν αἰπόλον ἄνδρα καλεῦσα.
percutit tibi polypheme armentum Galatęa
Malis,difficilem in amore caprarium virum vocans.

Et Idyllio 19. -τὸν μὲν ἔφευγεν
ἁ καλὰ γαλάτεια· σὲ δ' ἁδὺ ἀπέβλεπεν ἅλμας.
-hunc quidem fugiebat
Pulchra Galatea,te autem ſuauè videbat è mari.

Et fugit , & ſe] Anaphora. *Ante videri*] Quàm lateat. *At mihi*] reponuntur maiores amores ex factis amaſij,& collatione parium. *Ignis*] Idyllio ſecundo.

ἀλλά με τις καπυρὰ νόσος ἐξαλάπαξε.
Sed me quidam igneus morbus exhauſit.

Delia] amica aut venatrix dea. *Parta*] Opponitur in amores liberalitas ex effectis:locus eſt ſimilis 5.Idyllio:

κ' ἠγὼ μὲν δωσῶ τᾷ παρθένῳ αὐτίκα φάσσαν
ἐκ τᾶς ἀρκεύθω καθελών, τηνεῖ γὰρ ἐφίσδει.
Et ego quidem dabo virgini ſtatim palumbem
Ex *iunipero deprehendens:illic enim inſidet.*

Veneri] Metonymia pro amori vel amicæ. *Aëria*] Anteà fuit,

Nec gemere aëria ceſſabit turtur ab vlmo,

pro alta & ſublimi : nunc Seruius interpretatur aërij coloris. *Quot*] reponitur liberalitas maior, item ex effectis:locus eſt ex Idyllio tertio,

ἠνὶ δέ τοι δέκα μᾶλα φέρω τηνῶθε καθεῖλον,

σεῦ μ' ἐκέλευ καθελεῖν τὺ, καὶ αὔριον ἄλλα τοι οἰσῶ.
Ecce autem tibi mala decem fero, illinc decerpſi
Vnde me iuſsiſti decerpere tu, & cras altera tibi feram.

Mala aurea] coloris aurei, ait Seruius, & μῆλα ἑσπερικὰ mala heſperica Aphri dixêre: tum Græci χρύσεα μῆλα. aurea mala citria mala ſunt: citron & orengiam Franci nominant. *Miſi mittam*] Polyptoton. O *quoties*] opponitur amicæ gratia ex eius diuinis ſermonibus: Quantum verò in amoribus venuſtas illa ſermonis valeat, oſtendit Catullus illo epigrammate,

Quintia formoſa eſt multis, mihi candida, longa,
Recta eſt, hæc ego ſic ſingula confiteor.
Totum illud, formoſa, nego: nam nulla venuſtas,
Nulla in tam magno corpore mica ſalis.

Locus autem hic eſt ex Idyllio ſeptimo,

Λυκίδα φίλε, πολλὰ μὲν ἄλλα
Νύμφαι κ' ἠμὲ δίδαξαν ἀν' ὤρεα βουκολέοντα
Ἐσθλὰ, τά που καὶ Ζανὸς ἐπὶ θρόνον ἄγαγε φάμα.
Lycida amice, multa quidem alia
Nymphæ me docuerunt ſupra montes paſcentem
Bona, quæ Iouis in thronum duxit fama.

Venti] hîc optatio eſt & apoſtrophe. *Quid prodeſt*] reponitur maioris in venando voluptatis gratia, vbi ſimilis eſt apoſtrophe, & ironia videtur eſſe quædam. *Phyllida*] opponuntur rurſus amores quotieſlibet parati, item fruendi cauſſæ: Natalis ſiquidem dies genialis eſt. Hodie non deſcendit Antonius: cur? dat natalicia in hortis, ait Cicero ſecunda Philippica.

Natali Cornute die mihi dulcior eſt lux:

ait Iuuenalis. *Faciam*] ſacrificabo: Nolite auellere à ſacris Iunonis hoſpitę, cui omnes conſules facere neceſſe eſt, ait Cicero pro Murena. *Pro frugibus*] hoc ſacrificium ambaruale dicebatur, quia circũ arua victima ducebatur: hinc primo Georgico,

Terque nouas circum fœlix eat hoſtia fruges,

Item quinta ecloga

— & cùm luſtrabimus agros.

Phyllida

Phyllida] repetuntur amores paratiores,ídque effectis approbatur. *Diſcedere*] ſic anteà, *Orat abducere*, figuratum Seruius eſſe monuit , pro fleuit quòd diſcederem.

Vale] proſopopœia. *Vale*] vale ſecundum , ſyllaba ſecunda corripitur ſimili licentia atque anteà,

Te Corydon ô Alexi.

Idyllio quinto argumentum etiam contrarium eſt:

ὐκ ἔραμ' Α'λκίππας,ὅτι με πρὰν ὐκ ἐφίλασε,
τῶν ὤτων κατελῶισ' ὄκα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα.
Α. Αλλ' ἐγὼ Ε'υμήδευς ἔραμαι μέγα·καὶ γὰρ ὄκ' αὐτῷ
τὰν σύριγγ' ὤρεξα,καλόν τι,με κάρτ' ἐφίλασεν.
Non amo Alcippem.quia me nuper non oſculata eſt,
Aures deprehendens cùm ei palumbum dedi:
Sed ego Eumenidem amo magnopere:etenim quando ipſi
Fiſtulam dedi,pulchrum quid,me pluſquam valde oſculatus eſt.

Iola] vel Menalcas duplex nomen habet,aut ſynecdoche eſt,vt Achilles pro forti, & Paris pro adultero , ait Seruius. *Triſte*] opponuntur amantium iræ, quæ amoris redintegratio eſt , ait Terentius:ídque tribus ſimilibus declaratur. Talis eſt locus octauo Idyllio,

δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερὸν κακὸν,ὕδασι δ' αὐχμὸς,
ὄρνισιν δ' ὕσπλαγξ,ἀγροτέροις δὲ λίνα.
Arboribus quidē hyēs terribile malū,aquis autē ſiccitas,
Auibus verò laqueus,feris verò rete.

Amaryllidis iræ] ſic anteà,

Nónne fuit ſatiùs triſtes Amaryllidis iras?

Dulce ſatis] reponuntur amantium voluptates contrariæ,& tribus ſimilibus illuſtrantur. *Depulſis*] à lacte & mamma,vt fuit antè, *Quo ſæpe ſolemus*

Paſtores ouium teneros depellere fœtus.

Arbutus] arbor eſt,cuius pomum arbutum dicitur,ſimile ceraſis & fragis : vnde dicitur à Plinio libro decimo quinto capite viceſimo quarto,quòd vnum edatur, neque ad aliud edendum vno aſſumpto reuocatur.

Lenta] flexibilis:amara prius dicta eſt,

Et ſalices carpetis amaras.

Fœto] prægnanti aut enixo. *Pollio*] opponitur Pollionis amor in poëticam & ex cauſſa debitum præmium. Nam vt Idyllio decimoſexto,

> Ἐκ μοισᾶν ἀγαθὸν κλέος ἔρχεται ἀνθρώποισι,
> *Ex muſis bona gloria venit hominibus.*

Pierides] Muſæ dictæ ſunt Pierides propter amœnitatem & ſolitudinem montis Pierij, quo liberalium ſtudiorum cauſſa delectantur, ait Feſtus. *Vitulam*] vitulam bucolicis, epicis taurum, tragicis hircum veteres præmium proponebant. *Pollio*] reponitur maior laus Pollionis,& maius ex cauſſa,debitum præmium. *Noua*] Tragœdiam ſignificari putat Seruius,quam Pollio edidit,de qua videtur Horatius ſecũdo Carminum,

> *-paulum ſeueræ muſa tragœdiæ*
> *Creſcit theatris.*

Scripſit etiam Pollio hiſtoriam, vt ibidem Horatius,

> *Periculoſæ plenum opus aleæ*
> *Tractas,& incedis per ignes*
> *Suppoſitos cineri doloſo.*

Iam cornu] repetitur idem nono AEneidos,

> *Et ſtatuam ante aras aurata fronte iuuencum*
> *cãdentem,paritérque caput cum matre ferentem:*
> *Iam cornu petat,& pedibus qui ſpargat arenam.*

De quo ſic Plinius libri octaui capite quadrageſimo quinto:Tauris in aſpectu generoſitas,torua fronte,auribus ſetoſis, cornibus in procinctu dimicationem poſcentibus. Sed tota comminatio prioribus in pedibus ſtat,ira gliſcente alternos replicans, ſpargénſque in altum arenam,& ſolius animantum eo ſtimulo ardeſcẽs. *Qui te*] Opponitur in honorem Pollionis hyperbolica optatio bonorum. *Quò te*] perueniſſe intelligas:peruenerat autem ad conſulatum, & ad triumphum victis Salonis oppido Dalmatiæ: quod Horatius teſtatus eſt ſecundo Carminum,Ode prima,

> *Cui laurus æternos honores*
> *Dalmatico peperit triumpho.*

Amomum] Amomum exiguè frutificat,ex ligno ſe conuoluens

uoluens in racemi modum, flore ceu cādidæ violæ paruo, foliis vitis albæ ſimilibus: officinæ vocant Roſam Hiericontis, lignum valde odoratum, in Armenia, & Media, & Ponto naſcitur, Idyllio quinto,

ἱμέρα ἀνθ᾽ ὕδατος ῥείτω γάλα, καὶ τὺ δὲ Κρᾶθι
οἴνῳ πορφύροις, τὰ δέ τοι σία καρπὸν ἐνείκαι.
Himera pro aqua fluat lac, & tu autem Crathi
Vino rubeas, tibi autem Sia fructum ferant.
Α. ῥείτω χ᾽ ἁ Συβαρῖτις ἐμὶν μέλι, καὶ τὸ ποτ᾽ ὄρθρον
ἁ παῖς ἀνθ᾽ ὕδατος τὰν κάλπιδα κηρία βάψαι.
Fluat & Sybaritis mihi mel, & in diluculo
Famula pro aqua vrnam fauos tingat.

Item 7. ὥρια πάντα γένοιτο, καὶ εὔπλοον ὅρμον ἵκοιτο.
Temporanea omnia fiant, & proſperum portum eat.

Qui Bauium] reponitur in irriſionem malorum poëtarum hyperbolyca ſimiliter optatio malorum: fuerunt autem hi poëtæ infenſi Horatio & Virgilio: Bauius obiit in Cappadocia, Næuius triuialis & barbarus fuit, cúmque Athenas petulantiſsimo carmine laceraſſet, ab Athenienſibus eſt in vincula coniectus, & inedia mori coactus: de quo Ouidius in Ibim,

Vtque parum ſtabili qui carmine læſit Athenas,
Inuiſus pereas deficiente cibo.

Iungat] Aratro intellige. *Mulgeat*] Hirci non tantùm lacte carent, ſed fœtoris pleni ſunt. *Qui legitis*] Opponitur contra periculum admonitio ex adiunctis.

Frigidus] Idyllio quindecimo,

ἵππον καὶ τὸν ψυχρὸν ὄφιν τὰ μάλιστα δεδοίκω.
Equum, & frigidum ſerpentem maximè temeo,

Frigidus autem propter venenum dicitur. *Parcite*] pro abſtinete: Quomodo Terentius in Hecyra,

Hanccine ego vitam parſi perdere?

Et Plautus in Perſa,

Vomica eſt, preſſare parce.

Siccat] Seruius hîc allegoriam facit de Virgilio penè per Arrium militem interfecto, niſi ſe in Mincium abieciſſet: quod non placet. *Tityre*] Opponitur contra in-

commodam lotionem admonitio ex adiunctis temporis: locus eſt è quinto Idyllio,

> *ἄιγες ἐμαὶ θαρσεῖτε κερουχίδες: αὔριον ὔμμε*
> *πάσας ἐγὼ λουσῶ συβαριτίδος ἔνδοθι κράνας.*
> *Capræ meæ confidite corrigeræ, cras vos*
> *Omnes ego lauabo Sybaritidem intra fontem.*

Reiice capellas] Proceleuſmaticus pro dactylo, ait Seruius, id eſt pes conſtans duobus pyrrhichiis. *Lauabo*] de hoc primo Georgico,

> *Balantúmque gregm fluuio merſare ſalubri.*

Cogite] Reponitur contra incommodam mulctram admonitio ab adiunctis & exemplo. *Præceperit*] propriè dictum pro præoccupauerit: & ſic Cicero decima tertia Philippica, Præcipias licet gaudia: & primo Officiorũ, Magni etiam ingenij eſt præcipere cogitatione futura. *Præſſabimus*] periphraſis pro mulgebimus. *Eheu*] opponitur macilenti pecoris lamẽtatio ex ſimili cauſſa amoris. *Macer eſt mihi taurus*] Simile eſt quarto Idyllio,

> *λεπτὸς μὰν χ' ὡ ταῦρος ὁ πύῤῥιχος*
> *Macer quidem & taurus ruffus.*

Eruo] aliis in libris aruo, quod non placet. Eruum exiguus frutex eſt, tenuis, anguſtis floribus cãdidis; vel in candido cæruleis aut puniceis, ſeminibus in ſiliquis ſiue ſepto cylindriaceis, vt piſa ſe inuicem tangentibus coctum appoſitum boues ſaginat, Dioſcorides ſecundo libro triceſimoprimo capite: Sufficiunt autem ſingulis boũ iugis modi quini ſati, ait Plinius libri decimi octaui capite decimoquinto: vere ſatũ innoxium eſt, ait ibidem. *Pecori pecoriſque*] polyptoton. *His certè*] reponitur eiuſdem maciei lamentatio, ſed ex diſſimili cauſſa.

Oßibus herent] hyperbolica extenuatio eſt, ſumpta ex quarto Idyllio,

> *τλῶας μὰν δήτοι τᾶς πόρτιος αὐτὰ λέλειπται*
> *τ' ὠστέα. μὴ πρῶκας σιτίζεται ὥσπερ ὁ τέττιξ;*
> *Illius quidem vitulæ ipſa reliqua ſunt*
> *Oſſa, num rores paſcit, vt cicadæ?*

Faſcinat] Plinius libri ſeptimi capite ſecundo ait in Africa

Africa familias eſſe effaſcinantium, quarum laudatione intereant probata, areſcant arbores, emoriantur infantes: eſſe quoque in Triballis & Illyriis, quæ viſæ effaſcinẽt: interimántque, quos diutiùs intueantur iratæ præcipuè oculis: pupillas binas in oculis habent: Tales & fœminæ, viríque in Scythia & Põto, quorum notæ ſunt in oculo altero gemma pupilla, in altero effigies equi.

Dic quibus] Opponitur ænigma & ratio ſolutionis ex adiuncto honore, quod intelligitur de clybano ſeu furno oris tres vlnas patentis: & Alciatus huc accommodat ſententiam Hipponis, qui cælum clybano & homines carbonibus in eo coctis, & tãdem in cinerem reſolutis comparat: ab aliis de puteo Syenes oppidi in extremo Æthiopiæ fine ſiti, qui ſolſtitium æſtiuum indicat: ab aliis de ſepulchro Cælij decoctoris, qui ſibi ad illud tres vlnas ſoli tantùm retinuerat: at hæc ænigmata, ait Seruius, carent aperta ſolutione, & Virgilius, vt eſt apud Crinitum de honeſta diſciplina libri tertij capite octauo, interrogantibus Grammaticis quid hîc occultaret, iocando reſpõdit, ſe grammaticis crucem fixiſſe, qua ſe aſsiduè diſtorquerẽt. *Magnus Apollo*] Inſtar magni Apollinis, cui deo reliqui dij conceſſerant, vt præter cæteros diuinaret, ait prima Tuſculana Cicero.

Dic quibus] reponitur pro ſolutione paris ænigmatis quæſtio, & ratio ſolutionis ex adiuncto honore: Soluitur autem de Hyacintho. Itaque captioſè (*quibus in terris*) proponitur, quia in omnibus terris naſcãtur: eſt autem quaſi lilium rubrum, deſignans primam Hyacinthi literam: fabula eſt apud Ouidium decimo Metamorphoſεων, quomodo interemptus Hyacinthus & in florem ſui nominis conuerſus, nomen primis literis exprimentem,

Ipſe ſuos gemitus foliis inſcribit & αἶ αἶ
Flos habet inſcriptum, funeſtáque littera ducta eſt.
Νῦν, ὑάκινθε λάλει τὰ σὰ γράμματα, καὶ πλέον αἶ αἶ
λάμβανε τοῖς πετάλοισι.
Nunc: Hyacinthe loquere tuas literas, & plus αἶ αἶ

Accipe foliis: Idyllio decimo nono.

Regum] Synecdochen hîc Seruius ſtatuit pro Regis, quia nomen Hyacinthi tantùm, non etiam Aiacis, vt etiam eſt in fabulis, inſcribitur: attămen αἶ αἶ Aiacis nomen primis literis potiùs quàm Hyacinthi refert.

Phyllida] fuerat enim communis amica priùs: nam Damœtas dixerat,

Phyllida mitte mihi, meus eſt natalis, Iola.

Et Menalcas item,

Phyllida amo ante alias, nam me diſcedere fleuit.

Non] reuocantur à Palæmone, veluti partes iudicis occupent, ab eóque pariter laudantur. *Non noſtrum*] Idylio quinto,

παύσασθαι κέλομαι τὸν ποιμένα, τὶν δὲ Κομάτα
δωρεῖται Μόρσων τὰν ἀμνίδα, καὶ τὺ δὲ θύσας
ταῖς νύμφαις, Μόρσωνι καλὸν κρέας αὐτίκα πέμψον.

Deſincre iubeo paſtorem, tibi autem Comata
Donat Morſon agnam, & tu autem ſacrificans
Muſis, Morſoni pulchram carnem ſtatim mittito.

Item ſexto Idyllio,

Νίκα μὰν οὐδ' ἄλλος, ἀνάσσατοι δ' ἐγένοντο,

Vincebat quidem neque alius, inuicti autem erant.

Non] hîc diſtinguenda eſt oratio, tanquam diceretur: Non eſt veſtrum, ſed noſtrum eſt tantas lites componere *Aut metuet*] Id propter Menalcam dictum eſt, qui dixerat,

Dulcis ſatis humor, depulſis arbutus hœdis,
Lenta ſalix fœto pecori, mihi ſolus Amyntas.

Amaros] Id propter Damœtam, qui dixerat,

Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis iræ.

Claudite] Poteſt oratio ſimpliciter accipi per apoſtrophen ad alios paſtores de irrigatione pratorum: poteſt etiam allegoria eſſe, pro, ſatis cantatum eſt, diſcedite: vt peroratæ cauſſæ ſymbolum eſt, Dixi, Fabulæ peractæ, Plaudite: ſic certaminis abſoluti ſit hoc modo ſignum.

ECLOGA

ECLOGA QVARTA.

Pollio.

Poëta ſolus.

SIcelides Muſæ, paulò maiora canamus:
Non omnes arbuſta iuuant, humiléſque myricæ.
Si canimus ſyluas, ſyluæ ſint Conſule dignæ.
Vltima Cumæi venit iam carminis ætas:
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo:
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna:
Iam noua progenies cœlo demittitur alto.
Tu modò naſcenti puero, quo ferrea primùm
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo,
Caſta faue Lucina, tuus iam regnat Apollo.
Téque adeò decus hoc æui, te Conſule inibit
Pollio, & incipient magni procedere menſes.
Te duce, ſiqua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetua ſoluent formidine terras.
Ille deûm vitam accipiet, diuíſque videbit
Permiſtos heroas, & ipſe videbitur illis:
Pacatúmque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima puer, nullo munuſcula cultu,
Errantes hederas paßim cum baccare tellus,
Miſtáque ridenti colocaſia fundet acantho:
Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ
Vbera, nec magnos metuent armenta leones.
Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores:
Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni
Occidet, Aßyrium vulgò naſcetur amomum.
At ſimul heroum laudes, & facta parentis,

F

Iam legere,& quæ ſit poteris cognoſcere virtus,
Molli pollatim flaueſcet campus ariſta,
Incultíſque rubens pendebit ſentibus vua,
Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.
Pauca tamen ſuberunt priſcæ veſtigia fraudis,
Quæ tentare Thetin ratibus,quæ cingere muris
Oppida,quæ iubeant telluri infindere ſulcos.
Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas:erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.
Hinc vbi iam firmata virum te fecerit ætas
Cedet & ipſe mari vector,nec nautica pinus
Mutabit merces:omnis feret omnia tellus
Non raſtros patietur humus,non vinea falcem:
Robuſtus quoque iam tauris iuga ſoluet arator,
Nec varios diſcet mentiri lana colores:
Ipſe ſed in paratis aries iam ſuaue rubenti
Murice,iam croceo mutabit vellera luto:
Sponte ſua ſandyx paſcentes veſtiet agnos.
Talia ſecla ſuis dixerunt currite fuſis
Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ.
Aggredere ô magnos(aderit iam tempus)honores
Chara deum ſoboles,magnum Iouis incrementum:
Aſpice conuexo nutantem pondere mundum,
Terráſque,tractúſque maris,cœlúmque profundum:
Aſpice, venturo lætentur vt omnia ſeclo.
O mihi tam longè maneat pars vltima vitæ,
Spiritus &,quantum ſat erit tua dicere facta.
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus,huic mater quanuis,atque huic pater adſit,

Orphei

Orphei Calliopeia, Lino formoſus Apollo.
Pan etiam Arcadia mecum ſi iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat ſe iudice victum.
Incipe parue puer riſu cognoſcere matrem:
Matri longa decem túlerunt faſtidia menſes.
Incipe parue puer: cui non risêre parentes,
Nec deus hunc menſâ, dea nec dignata cubili eſt.

IN QVARTAM ECLOGAM.

SALONIS in Dalmatia victis, Pollio filium, quo tunc erat auctus, Saloninum cognominauit: Virgilius igitur hac ecloga γενεθλιακὸν eius deſcribit ex adiunctis, quod eius ætatis, ætas aurea comes futura ſit: eíque permulta tribuit, quæ Chriſto dicuntur à Sybillis attributa: Quæ Chriſtianis ita probata ſunt, vt Græci hanc eclogam græcè cõuerterint: & Diuus Hieronymus ad Paulinum affirmet Maronem ſine Chriſto chriſtianũ fuiſſe: & Diuus Auguſtinus ſentiat ſpiritum ſanctum per os inimicorum locutum. Et ſatis conſtat Secundianum pictorem & Marcellianum oratorem, huius eclogæ verſibus conſyderatis Chriſtianos factos eſſe. Tale eſt autem argumentum Idyllij decimi ſeptimi in Ptolemæi laudes. *Sicelides*] Inuocatio eſt ad maioris operis carmen, cuius ratio eſt è diſſentaneis, quia non omnes humili carmine delectentur: Inuocatio rurſus erit ſexta ecloga.

Pergite Pierides. Et vltima,

Extremum hunc Arethuſa mihi concede laborem.

Præſens autem inuocatio eſt ex Idyllio decimo nono,

Ἄρχετε σικελικαὶ τῶ πένθεος, ἄρχετε μοῖσαι,

Incipite Sicelicæ luctum, incipite muſæ.

Sicelides] græcanicus caſus eſt: latinè ſiquidem Sicilienſes dicerentur, ſed græcis σικελία dicitur, & σικελίς: Hoc

autem nomine Theocriti muſas intelligit: fuit enim Theocritus Siculus & Syracuſanus. *Myricæ*] de quibus ſic Plinius libri decimi tertij capite viceſimo primo: Myricen & Italia, quam alij Tamaricem vocant, Achaia autem Bryam ſylueſtrem: inſigne in ea eſt, quòd ſatiua tantùm ferat gallæ ſimilē fructum. Infœlicia eius ligna appellamus, quorum materia in domum illata difficiles partus fieri prodāt, mortéſq; miſeras. Hîc verò myricæ per metaphoram pro rebus humilibus ponuntur. *Si canimus*] Prolepſis eſt quædam: tametſi Bucolicum carmen canimus, eſt ipſum tamen Conſule nō indignum. Sic antea,

Pollio amat noſtram, quamuis ſit ruſtica, muſam.

Et bucolicum carmē ſæpe ita iam ſignificatum eſt, vt,

Sylueſtrem tenui muſam meditaris auena:

Item, *Montibus & ſyluis ſtudio iactabat inani:*

Item, *Mecum vnà in ſyluis imitabere Pana canendo:*

Item, *Habitarunt dij quoque ſyluas.*

Quare ne ſyluas pro maioribus rebus accipe: Et hîc fortaſsis reſpexit etiam poëta Conſulum minores prouincias, quibus ſyluarum & collium cura continebatur, vt Crinitus De honeſta diſciplina libri quarti capite quinto. Et Cælius Rhodoginus libro decimo quarto capite 5. Aquarum & ſyluarum magiſtratus in Franciæ regno vocatur. *Syluas, ſyluæ*] polyptoton. *Vltima*] propoſiti genethliaci: Maſcente puero redit ætas aurea, quæ per gradus infantiæ, iuuētutis, virilis ætatis etiam explicatur: vt incipiat, augeatur, abſoluatur. *Cumæi*] Sybillæ decē numerãtur à Varrone, Perſica, Phrygia, Helleſpōtiaca, Samia, Lybica, Delphica, Cumana, Cumæa, Erithræa, Tyburtina: Virgilius eandē Cumanam ſexto AEneidos & hîc Cumæam. Quatuor autē mūdi ætates Sibylla dicitur quatuor metallorū generibus notauiſſe: auream, argēteam, æneam, ferream: & quarta finita παλιγγενεσίαν ſtatuiſſe, aureámque ætatem redituram.

Magnus] Periphraſis eſt anni magni, qui tum efficitur cùm Solis & Lunæ & quinque errantium ſtellarum ad eandem

eandem inter ſe comparationem confectis omniũ ſpatiis,eſt facta conuerſio, vt ait ſecundo de Natura deorũ Cicero. *Virgo*] Ethnicus poëta veræ pietatis & regionis ignarus, tametſi de Chriſti matre virgine hæc verè dicerentur, attamen ad ſyderis ſignum, non ad matris virginis miraculum reſpicit, & Erigonem vel Aſtræam intelligit:quæ cùm dij cæteri è terris in cœlum propter hominũ vitia ſeſe reciperent,vltima abiit,vt primo Metamorphoſeos Ouidius ait,

-Tum virgo cæde madentes
Vltima de ſuperis terras Aſtræa reliquit.

Saturnia] quæ Saturno regnante fuerant: Metonymia hîc igitur eſt. *Redit,redeunt*] Polyptoton. *Iam, Iam*] In principiis ſententiarum,anaphora. *Tu*] primus gradus eſt,vt puer naſcatur:Itaque vt id fœliciter fiat,Iuno,quę parturiẽtibus pręeſt,inuocatur: Sic in Andria Terẽtius,

Iuno Lucina fer opem,ſerua me obſecro. eadem Diana etiam dicitur:Lucina item dicitur,quòd partum ferat in lucem. Horatius tertio Carminũ,Ode viceſima ſecũda,

Montium nemorúmque virgo,
Quæ laborantes vtero puellas
Ter vocata audis, adimíſque letho, Diua triformis.

Quo] naſcente intellige. *Ferrea*] vltima hæc eſt, & repetitur iam dictum: & illud eſt idem Danielis ſecundo capite vaticinium de quatuor monarchiis, per ſtatuam capite aureo, pectore & brachiis argenteis, ventre & femoribus æneis,tibiis partim ferreis,partim fictilibus.

Tuus Apollo] Diana & Apollo,Latonæ filij ſunt: Sybilla vltimũ ſeculum Solis futurum prædixit, ait Seruius: at Sol idem eſt Apollo,& nunc videtur Auguſtus ſignificari,qui filius Apollinis habitus eſt, vt dictum eſt in Virgilij vita, eiúſque ſimulachrũ factũ eſt, cũ Apollinis cũctis inſignibus,ait Seruius. *Téque*] Periphraſis eſt tẽporis,quo naſcitur hic puer:Romani ſiquidẽ ãnos ſuos per Cõſules numerabant: Pollio autem triginta ſex annis ante natũ Chriſtũ Conſul fuit:neque tempus, ſi verè fuerat à Sybilla de Chriſto notatum, rectè à poëta ad

Saloninum trāſlatum eſt. *Téque*] Epanodos. *Téque adeo*] admiſcetur item hîc laus patris Pollionis ex adiunctis & factis, quòd ipſo & Conſule hæc fœlix ætas incipiet, & duce ferrea terminabitur. *Magni menſes*] Iulius & Auguſtus qui prius Quintilis & Sextilis dicebantur, ait Seruius: & ſic Aſconius Pædianus ſecunda Verrina, ad illũ locum (Nonæ Sextiles, Sextiles, ait, id eſt Auguſtæ, vt Quíntiles, Iuliæ: nondum enim nomina de Imperatoribus ſumpſerant, propter quam mutationem nominum Virgilius ait,

Et incipient magni procedere menſes.

At magnos menſes potiùs intellige duodecimas partes magni anni, vt ætas aurea longiſſima ſit futura, & quod mox dicitur, perpetua formidine terras ſolutura. Tacitus dicit in vita agricolæ, Imponite quinquaginta annis magnum diem, id eſt, laboribus finem allaturum. vide an ſic menſes magni dici poſſint. *Sceleris*] Id réfert ad Laomedontis fraudem, qui Neptunum & Apollinem Troiæ conſtructæ mercede fraudauerat: ſic in fine primi Georgici,

...Satis iampridem ſanguine noſtro,
Laomedonteæ luimus periuria gentis.

Veſtigia] Metaphora, pro reliquiis. *Ille*] confuſa & hîc laus Auguſti ſumi poteſt, ſicuti Salonini: vt Auguſtus patris Iulij, Saloninus Pollionis exemplo, pacatum regat orbem. *Heroas*] Philo, de mundo, dictos heroas putat quos Moſes ἀγγέλους: alij putant, conſecratos homines, & in numerum deorum magnis virtutibus relatos: vt Herculem, Caſtorem, Romulum: anteà diximus Auguſto viuo diuinos honores exhibitos eſſe.

At tibi] Salonini ſunt quæ ſequuntur, cuius infantia ſit ætatis aureæ quædam infantia, terráque ſponte ſua flores, & capræ lac ſint daturæ. *Hedera*] Hederâ poëtæ quondam coronabantur, & ſic ecloga ſeptima dicetur,

Paſtores, hedera creſcentem ornate poëtam.

Et inde victor Alexander exercitum hedera coronauit, vt triumphum Liberi patris imitaretur: ergo poëta honores

honores futuros hîc ominatur. *Baccare*] Baccaris ſeu Baccar herba eſt, quæ vulgò dicitur Chirotheca noſtræ dominæ,& radicis tantùm eſt odoratæ,ait Plinius,libri viceſimi primi capite ſexto. *Colacaſia*] herba eſt Aegyptia,cuius radix colocaſiō dicitur:ipſa eſt amaro odore, cibo tamē Aegyptiis gratiſsima,vel cruda,vel toſta,vel elixa : & eius flos coronamentis apud Aegyptios dicatur,quod modò Virgilius videtur indicare, vide Ruellium. *Leones*] hîc locus Sybillinis verſibus latiùs apud Lactātiū exponitur libri ſeptimi capite viceſimo quarto : verſus autem hi mox à nobis proferentur, & idem ab Eſaïa capite vndecimo de natiuitate Chriſti cantatur: Itaque verſabitur cum agno lupus, accubabítque pardus hœdo,copulatóſque vitulum & leonem, & taurum ducet puer paruulus,& vacca & vrſus compaſcentur, concubantibus eorum pullis, & leo more boum palea veſcetur, & ludet ſuper aſpidis foramen lacteus infans, ſupérque viperæ cauernam deliculus puer manum agitabit. *Ipſa tibi*] repetitur eadem florum naturalis affluentia. *Cunabula*] cunæ lectuli ſunt, in quibus infantes iacent, hinc cunabula pro eodem, quod & incunabula dicimus. *Occidet*] ponitur in principio, occidet,& idē repetitur in fine ſententiæ, epanalepſis igitur eſt. *Fallax*] non cicuta, ait Seruius, quæ manifeſta eſt,ſed vel aconitum intelligitur, vt ſecundo Georgico ſignificatur,

-Nec miſeros fallunt aconita legentes:

Vel Sardinia herba,ſapore quidem dulcis,ſed guſtata, ora hominum in rictus dolore cōtrahit, vt veluti ridentes emoriātur,de qua ſeptima ecloga ad illum verſum,

Imò ego Sardoïs videar tibi amarior herbis.

Aſſyrium] de amomo iam diximus ex Dioſcoride, vt frutex ſit exiguus:Seruius tamē hîc ait herbam eſſe ſuauiſſimi odoris, quæ tantùm naſcitur in Aſſyria Aſiæ regione. *At ſimul*] Iuuentus Salonini deſcribitur ex eius ſtudiis & factis,quibus hiſtoria & philoſophia cognoſcitur: vbi ſecundus ætatis aureæ gradus ex adiuncta fru-

menti,vini,mellis affluentia notatur. Hunc Sybillæ locum citat Lactantius ibidem pluribus item verſibus.

οἱ δὲ λύκοι σὺν ἄρνεσ᾽ ἐν οὔρεσιν ἀμμιγοῦνται,
χόρτον γὰρ λύγκες τ᾽ ἐρίφοισιν ἅμα βόσκονται,
ἄρκτοι σὺν μόσχοισιν ὁμοῦ, καὶ πᾶσι βροτοῖσι,
σαρκοβόρος τε λέων φάγετ᾽ ἄχυρον παρὰ φάτναις,
σὺν βρέφεσίν τε δράκοντες ἀμάτροσι κοιμήσονται.

Id eſt, *Et lupi tunc cum agnis in montibus verſantur,*
Herbam lynces pariter cum hœdis paſcuntur,
Vrſi cum vitulis ſimul omnibúſque pecoribus,
carniuorans leo comedet paleas ad præſepia,
Cum infantibus dracones matrum orbis dormient.

Et pauló pòſt:

εὐσεβέων δὲ μόνον ἁγία χθὼν πάντα τάδ᾽ οἴσει,
Νᾶμα μέλιτος ἀπὸ πέτρης ἠδ᾽ ἀπὸ πηγῆς,
καὶ γάλα τ᾽ ἀμβροσίης ῥεύσει πάντεσσι δικαίοις.
Piorum autem ſolùm ſancta terra omnia hæc feret,
Fluentum mellis de petra atque de fonte,
Et lac immortalitatis manabit omnibus iuſtis.

Campus] eſt hypallage,pro, Ariſtæ campi flaueſcent,id eſt ſeges matureſcet. *Rubens*] Metonymia ex adiunctis pro matura. *Sentibus*] Similis anteà fuit hyperbole,

-Ferat & rubus aſper amomum:

nec enim per naturam id fieri poteſt. *Sudabunt*] effundet,metaphora eſt:ſic Ouidiꝰ primo Metamorphoſεων,

Flauáque de viridi ſtillabunt roſcida mella.

Roſcida] plena roris, rorulentum id etiam Cato dicit: ſic poſtea ecloga octaua,mala roſcida dicentur,

Sepibus in noſtris paruam te roſcida mala,
(Dux ego veſter eram)vidi cum matre legentem.

Sic luna roſcida & iris roſcida Virgilio poſtea dicetur.
Pauca] accedit ad tertium gradum aureæ ætatis prolepſi & diſſimilitudine reliquæ ætatis ferreę per partes, nauigationem,militiam,agriculturam. *Thetin*] alij ſcribunt Thetym:metonymia eſt pro mari:eſt enim Thetis dea maris,vxor Neptuni,Cœli & Terræ filia.
Ratibus] Ratis,eſt nauigium temerè factum trabibus ſine

ſine fabrica compactis,ait Probus.

Quæ tentare,quæ cingere,quæ iubeant] Anaphora. *Infindere*] hypallage pro tellurem ſulcis infindere. *Alter erit*] prima pars & ſecunda confuſè repetuntur, alia ſui diuiſione. *Alter altera*] Polyptoton. *Tiphys*[Tiphys,eximius nauis fabricator & rector,qui in Colchidem Argonautas deduxit.

Ars tua Tiphy, iacet ſi non ſit in æquore fluctus,

ait Ouidius quarto Triſtium. *Argo*] Nauis,qua Iaſon cum quinquaginta quatuor delectis Græciæ heroibus nauigauit: vel artificis nomine ſic dicta:vel à ſua velocitate,ἀργὸς enim velox dicitur:vel ab Argiuis:

Argo,qua vecti Argiui delecti viri
Petebant illam pellem inauratam arietis,

Ait Ennius prima Ciceronis Tuſculana. *Delectos*]quales cum Iaſone fuerunt quinquaginta quatuor: Idyllio decimo tertio,

-θεῖος ἄωτος
ἡρώων.
-*diuinus flos*
Heroum.

Erit,erunt] Polyptoton. *Altera*] ſic ſexto AEneidos,

-*Bella horrida bella,*
Et Tybrim multo ſpumantem ſanguine cerno:
Non Simois tibi,nec Xanthus,nec Dorica caſtra
Defuerint,alius Latio iam partus Achilles.

Synecdochæ ſunt ex ſpecialibus generale ſignificantes,Tiphys,Argo,Troiam,Achilles : ergo gubernatorẽ nauis,hoſtium vrbem,fortis,quaſi dictum eſſet his verbis, intellige. *Achilles*] Idyllio viceſimo ſeptimo,

-Ἀχιλῆά τε πύργον ἀϋτῆς.
-*Achillémque turrem belli.*

Hinc] Antapodoſis, vbi primùm Salonini virilis ætas deſcribitur, quòd cùm vir fuerit, mercatura & agricultura conquieſcet: de militia non redditur. *Vector*] vector paſſiuè dicitur, qui vehitur, quomodo etiã in proſa.Et ſummi gubernatores in ſummis tempeſtatibus à

vectoribus admoneri ſolent, ait Cicero ſeptima Philippica. *Pinus*] Metonymia, ex materia ſignificans opus, pro naui pinea, & metonymia rurſus eſt ex ſubiecto adiunctum ſignificans, ex naui nauitam: metalepſis igitur hîc eſt duorum troporum. *Mutabit*] Ante nummum repertum, commutatio rerum fuit, de qua primo Politico Ariſtoteles, qualis eſt hodie plurima inter omnis generis mercatores: Trochare Franci id dicunt.

Omnis feret] cauſſa ceſſantis mercaturæ.

Omnis omnia] Polyptoton. *Non raſtros*] periphraſis eſt pro, non arabitur. *Raſtros*] quibus glebæ franguntur, vt Georgico primo,

Multùm adeò raſtris glebas qui frangit inertes.

Non non] Anaphora. *Nec varios*] Additur ad ætatis aureæ perfectionem naturalis colorum varietas & permiſtio. *Aries*] Si purpureo aureóue colore, ouis ariéſue ſpargetur, principi ordinis & generis ſumma cum fœlicitate largitatem auget, genus, progeniémque, propagat in claritate, lætiorémque efficit, ait Macrobius.

Suaue] Sic antea,

-Suaue rubens hyacinthus,

pro ſuauiter. *Murice*] Murex piſcis eſt marinus, concharum è genere, à purpura paululum diuerſus, caro in eſcam, ſanguis in colorem aſſumitur: Martialis de murice libro decimo tertio,

Sanguine de noſtro tinctas ingrate lacernas
Induis, & non eſt hoc ſatis, eſca ſumus.

Luto] Plinius libri triceſimi tertij capite quinto luteā herbam appellat, qua chryſocolla tingitur, caltha aquatica nonnullis eſt. *Sandyx*] Sandaracha ſi torreatur, æqua parte rubrica admiſta, ſandycem faciet: quāquam animaduerto Virgilium exiſtimaſſe herbam id eſſe, illo verſu:

Sponte ſua ſandyx paſcentes veſtiet agnos,

ait Plinius libri triceſimi quinti capite ſexto. *Talia*] cōfirmatur ætatis aureæ prædictio, teſtimonio Parcarum, vbi Sybillinum vaticinium innui videtur, ſi Virgilius è

Sy-

Sybillæ libris iſta deprompſerit. *Parce*] κατὰ ἀντίφρασιν, ait Seruius, quia nemini parcāt: at Varro à partu deducit, vt vnius literæ mutatione Parcæ quaſi partæ, quoniã naſcentibus bonum malúmque conferant: tres finguntur, quia tria ſunt tempora: de quibus eſt ille verſiculus,

Clotho colum baiulat, Lacheſis net, Atropos occat.

Cicero tertio de Natura deorũ, Erebi & Noctis filias facit, & eaſdem fata eſſe ſtatuit. *Aggredere*] Optatio eſt ſpecie adhortationis, vt quāprimum Saloninus vir fiat, & Rempublicam capeſſat. *Chara*] aliàs clara: verſus eſt è Ciri repetitus. *Deûm*] & illud antea,

Iam noua progenies cælo demittitur alto:

Item, *Ille deûm vitam accipiet, diuiſque videbit*
Permiſtos heroas, & ipſe videbitur illis.

Iouis incrementum] Idyllio ſeptimo.

-ὄυνεκον ἐσσὶ
πᾶν ἐπ' ἀλαθείᾳ πεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔρνος.

-quoniam es
Totus in veritate formatus ex Ioue ramus.

Aſpice] cauſſa optationis, præſentis ætatis triſtitia, & lætitia futuræ. *Conuexo*] Conuexũ & concauum contraria ſunt: & hîc pondus conuexum dicitur per metonymiam ex effectis, quia facit cœlum conuexum,

-Conuexa polus dum ſydera paſcet,

dicitur AEneidos primo. *Terráſque*] Amplificatio è partibus mũdi: verſus idem repetitur quarto Georgico,

-Deum nanque ire per omnes
Terráſque tractúſque maris cœlúmque profundum.

Aſpice] Anaphora. *O mihi*] optatio manifeſtior, qua ſignificat hyperbolica duorum parium collatione ſummum in Salonini laudes ſtudium: quales ante collationes fuerunt,

Canto quæ ſolitus ſiquando armenta vocabat
Amphion Dyrcæus.

Item, *Mecum vnà in ſyluis imitabere Pana canendo.*

Maneat] Sic tertij Georgici initio,

Primus ego in patriam mecum (modò vita ſuperſit)

Aonio rediens deducam vertice muſas:
Primus idumæas referam tibi Mantua, palmas.

Thracius] circa Ponti litora in Thracia Moriſeni & Sithonij Orphei vatis progenitores obtinẽt, ait Plinius libri quarti capite vndecimo. Orpheum verò poëtam docet Ariſtoteles nunquam fuiſſe, & hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cuiuſdam fuiſſe, ait Cicero primo de Natura deorum. *Pan etiam*] Collatio minorum eſt item hyperbolica, & hyperbolico teſtimonio amplificata: de Pane verò anteà fuit,

Pan primus calamos cera coniungere plures
Inſtituit.

Arcadia] Arcadia alioqui rudis, attamen muſicâ præſtitit: hinc *Arcades ambo*, ſeptima ecloga dicũtur paſtores, pro, peritiſſimi muſicæ: hinc octaua ecloga, Mœnalij verſus, id eſt Arcadici toties celebrati. Arcadia igitur iudex muſicæ, pro Arcadibus hîc dicitur muſicis egregiis. *Pan etiam*] in quibuſdam exemplaribus legitur, *Pan deus*, ſed anaphora hemiſtichij gratior eſt. Idyllio 7.

-ὃν οὐδέ κεν αὐτὸς ἀεῖδεν
Φοῖβος σὺν φόρμιγγι παρὰ τριπόδεσσι μεγαίροι.

-quem neque ipſe canere
Phœbus cum cithara apud tripodas inuideret.

Incipe] Concluditur genethliacon adhortatione ad cognoſcendum matrem ridentem: Sic enim Bembus aduerſus Quintilianũ & Politianum rectè interpretatur, & Erythræus Bembum ſecutus. Ratio autem adhortationis prima eſt ex adiunctis laboribus, quos grauidæ matri puer attulit: Sic enim interpretor, tulerũt, pro attulerunt. Decem menſes, quibus grauidæ matris vtero geſtatus es, longa faſtidia matri attulerunt. *Decem*] homo toto anno & incerto gignitur ſpatio, aliis ſeptimo menſe, aliis octauo, & vſque ad initia decimi vndecimíque: ante ſeptimum menſem haud vnquam vitalis eſt, ait Plinius libri ſeptimi capite quinto, vbi plura leges.

Tulerunt] Syſtole eſt: media enim longa pro breui ſumitur: qualis iam ſæpe metaplaſmus fuit,

Te co-

Te Corydon ô Alexi- & item,
Et longum, Formoſe vale, vale.

Incipe] Altera ratio ex contradictionis adiuncto : Cui parentes non riſerunt, is non diu vixit : id enim ſignificat proximo verſu. Deus, genius intelligitur cui menſa conuenit: dea autem, Iuno, cui lectus: Sic Seneca ait ſecunda epiſtola libri viceſimi, maiores ſingulis Genium & Iunonē dediſſe : & Plinius libri primi capite ſeptimo ait, cùm de deo loquitur: Quamobrem maior cœlitum populus, etiam quàm hominum intelligi poteſt, cùm ſinguli quoque ex ſemetipſis totidem deos faciant, Iunones, Genióſque adoptando ſibi. qui verus eſt ſenſus huius loci. Seruius (cui) datiuum, refert ad Vulcanum, cui parentes non riſêre, id eſt, Iupiter & Iuno, quia deformis, nec ideo Iupiter pater ad conuiuiū admiſit: nec dea Minerua cubili & matrimonio dignata eſt. Et ſic idem Seruius ait ad illum primi AEneidos locum:

-Tu das epulis accumbere diuûm.

Duplici ratione diuinos honores meremur, dearum coniugio & deorum conuiuio: vnde & in Bucolicis legimus:

Nec deus hunc menſâ, dea nec dignata cubili eſt.

Sed hanc interpretationem Politianus reprehendit Miſcellaneorum centuria octogeſima nona. quia non ob eam cauſam præcipitatus ſit Vulcanus, quòd deformis erat, ſed quoniā matri Iunoni aduerſus Iouem patrem opem tulerit : & cum Qūintiliano legit, Qui nominatiuo caſu plurali: vt ſit ſenſu, O parētes, ex iis pueris qui non risêre, hunc puerum nec deus mensâ, nec dea cubili dignata eſt. At in his duobus verſibus hyperbaton nimis confuſum eſt, & Quintilianus ipſe libri primi capite ſeptimo, indicat olim datiuum (cui) etiam ſcriptum fuiſſe, vt nominatiuum pluralem (*Qui* In quo) ait, ad pinguem ſonum (*Qu*) & (*oi*) vtebantur tantùm, vt ab illo (*Qui*) diſtingueretur. Itaque nihil neceſſe Politiano fuit tantam confuſionem interponere, cùm perſpicuus ſenſus appareat.

ECLOGA QVINTA.
Daphnis.

Menalcas. *Mopſus.*

ME. *CVr non Mopſe (boni quoniam conuenimus ambo,*
Tu calamos inflare leueis, ego dicere verſus)
Hîc corylis mixtas inter conſedimus vlmos?
MO. *Tu maior: tibi me eſt æquum parêre Menalca:*
siue ſub incertas zephyris motantibus vmbras
Siue antro potius ſuccedimus: aſpice, vt antrum
Syluestris raris ſparſit labruſca racemis.
ME. *Montibus in noſtris ſolus tibi certet Amyntas.*
MO. *Quid, ſi idem certet Phœbum ſuperare canendo?*
ME. *Incipe Mopſe prior, ſi quos aut Phyllidis ignes*
Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri.
Incipe, paſcentes ſeruabit Tityrus hœdos.
MO. *Imò hæc, in viridi nuper quæ cortice fagi*
Carmina deſcripſi, & modulans alterna notaui,
Experiar: tu deinde iubeto certet Amyntas.
ME. *Lenta ſalix quantùm pallenti cedit oliuæ,*
Puniceis humilis quantùm ſaliunca roſetis:
Iudicio noſtro tantùm tibi cedit Amyntas.
MO. *Sed tu deſine plura puer: ſucceßimus antro.*
Extinctum Nymphæ crudeli funere Daphnim
Flebant: vos coryli teſtes, & flumina Nymphis:
Cùm complexa ſui corpus miſerabile nati
Atque deos, atque aſtra vocat crudelia mater.
Non vlli paſtos illis egêre diebus

Frigida Daphni boues ad flumina: nulla neque amnem
Libauit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
Daphni tuum Pœnos etiam ingemuiſſe leones
Interitum, montéſque feri, ſyluæque loquuntur.
Daphnis & Armenias curru ſubiungere tigres
Inſtituit. Daphnis thyaſós inducere Baccho,
Et folus lentas intexere mollibus haſtas.
Vitis vt arboribus decori eſt, vt vitibus vuæ,
Vt gregibus tauri, ſegetes vt pinguibus aruis:
Tu decus omne tuis. poſtquam te fata tulerunt,
Ipſa Pales agros, atque ipſe reliquit Apollo.
Grandia ſæpe quibus mandauimus hordea ſulcis,
Infœlix lolium, & ſteriles dominantur auenæ.
Pro molli viola, pro purpureo narciſſo,
Carduus, & ſpinus ſurgit paliurus acutis.
Spargite humum foliis, inducite fontibus vmbras
Paſtores: mandat fieri ſibi talia Daphnis.
Et tumulum facite, & tumulo ſuperaddite carmen:
Daphnis ego in ſyluis hinc vſque ad ſydera notus,
Formoſi pecoris cuſtos, formoſior ipſe.
Tale tuum carmen nobis diuine poëta, ME.
Quale ſopor feſſis in gramine, quale per æſtum
Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere riuo.
Nec calamis ſolùm æquiparas, ſed voce magiſtrum.
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
Nos tamen hæc, quocunque modo, tibi noſtra viciſſim
Dicemus: Daphnímque tuum tollemus ad aſtra,
Daphnin ad aſtra feremus, amauit nos quoque Daph-
An quicquam nobis tali ſit munere maius? (nis. MO.
Et puer ipſe fuit cantari dignus: & iſta

Iampridem Stimicon laudauit carmina nobis.

ME. *Candidus inſuetum miratur limen Olympi,*
Sub pedibúſque videt nubes, & ſydera, Daphnis.
Ergo alacres ſyluas, & cætera rura voluptas,
Panáque, paſtoréſque tenet, Dryadáſque puellas.
Nec lupus inſidias pecori, nec retia ceruis
Vlla dolum meditantur: amat bonus otia Daphnis.
Ipſi lætitia voces ad ſydera iactant
Intonſi montes: ipſæ iam carmina rupes,
Ipſa ſonant arbuſta, Deus Deus ille, Menalca:
Sis bonus ô fœlíxque tuis. en quattuor aras:
Ecce duas tibi Daphni, duóque altaria Phœbo:
Pocula bina nouo ſpumantia lacte quotannis,
Crateráſque duos ſtatuam tibi pinguis oliui:
Et multo in primis hilarans conuiuia Baccho,
Ante focum, ſi frigus erit: ſi meſsis, in vmbra,
Vina nouum fundam calathis Aruiſia nectar:
Cantabunt mihi Damœtas, & Lyctius Ægon:
Saltantes Satyros imitabitur Alpheſibœus.
Hæc tibi ſemper erunt, & cùm ſolennia vota
Reddemus nymphis, & cùm luſtrabimus agros.
Dum iuga montis aper, fluuios dum piſcis amabit,
Dúmque thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ:
Semper honos, noménque tuum, laudéſque manebunt.
Vt Baccho, Ceteríque, tibi ſic vota quotannis
Agricolæ facient: damnabis tu quoque votis.

MO. *Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona?*
Nam neque me tantùm venientis ſibilus auſtri,
Nec percuſſa iuuant fluctu tam littora, nec quæ
Saxoſas inter decurrunt flumina valles.

Hac te

Hac te nos fragili donabimus antè cicuta. ME.
Hæc nos, Formoſum Corydon ardebat Alexim:
Hæc eadem docuit, Cuium pecus? an Melibœi?
At tu ſume pedum (quod me cùm ſæpe rogaret, MO.
Non tulit Antigenes, & erat tum dignus amari)
Formoſum paribus nodis, atque ære, Menalca.

IN QVINTAM ECLOGAM.

MVſicum certamẽ duo paſtores non infeſti inter ſe, vt ecloga tertia, ſed amici conſtituunt. Argumentum carminis eſt de Daphnide, & triplex, ἐπικήδιον, ἐπιτάφιον, ἀποθέωσις. *Cur non*] Præparatio eſt ad cõſeſſum & cantum ex adiunctis perſonarum & loci, qualis eſt Idyllio primo multis verſibus, de pinu reſonante, de tumulo, & myricis, & quercu: item quinto, de oleaſtro, & nemoribus, & herba, & virgulto, quercu, cypero, frigidis aquis, fontibus: de loco tale fuit antea,

Dicite, quandoquidem in molli conſedimus herba,
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
Nunc frondent ſyluæ, nunc formoſiſſimus annus.

Boni] id eſt periti, tu inflandi calamos, ego verſus dicendi. Sexto Idyllio,

αὔλει Δαμοίτας, σύριζε δὲ Δάφνις ὁ βώτας,
Tibia canebat Damœtas, fiſtula autem canebat Daphnis bubulcus.

Tu modò] Modeſtum obſequium & ratio ex adiuncto ætatis: adhibetur tamen quædam correctio ex adiunctis loci, vt potiùs in antrum deſcẽdatur. Simile fuit antea ecloga prima,

Viridi proiectus in antro.

Zephyris] Zephyrus à latinis & Fauonius, ventus eſt ab æquinoctiali occaſu:

Veſper & occiduo quæ littora ſole tepeſcunt,

Proxima ſunt Zephyro-

Ouidius primo Metamorphoſεων. *Motantibus*] Sic ecloga ſexta,

-Tum rigidas motare cacumina quercus.

Labruſca] Vitis ſylueſtris:labruſca dicitur, quia in labris terræ naſcatur, aliquando in neutro genere, vt in Culice,

Denſáque virgultis auidè labruſca petuntur.

Montibus] Cauillatio quædam eſt è paribus, qua Menalcas leuiter pungitur. *Amyntas*] hoc nomẽ iam pro inuido fuit,

Dixit Damœtas, inuidit ſtultus Amyntas:

Et iterum pro molli & delicato,

At mihi ſeſe offert vltro meus ignis Amyntas.

Quid ſi] Eleuatur obiecta cauillatio hyperbolica maiorum collatione:Idyllio quarto,

φαντί νιν Ἡρακλῆι βίῃ καὶ κάρτος ἐρίσδεν.

Dicunt ipſum Herculi vi & fortitudine contendere.

Incipe] Proponitur argumenti varia materia, amatoria, laudatiua, contentioſa: & ex adiunctis otium proponitur. Tale ferè eſt ecloga nona,

Incipe ſi quid habes, & me fecère poëtam

Pierides, ſunt & mihi carmina.

Phyllidis] Notus eſt Phyllidis amor erga Demophoontem regis Athenienſis filium, ex epiſtola Ouidij, vt illum è Troiano bello redeuntem exceperit & pro coniuge habuerit:ac deinde cùm Athenas ille reuerſus, nõ rediturus putaretur, ſeſe ſuſpẽderit, & in arborẽ nominis ſui mutata ſit, id eſt amygdalum ſine foliis: Poſtremò Demophoon reuerſus, re cognita truncũ ſit amplexatus, qui velut ſponſi ſentiret aduentum, folia emiſit, vnde etiam φύλλον, folium dictũ eſt, quod prius πέταλον dicebatur: vide Seruium. *Alconis*] Hic Cretenſis ſagittarius fuit excellens, qui in ſerpentem Phalari eius filio inuolutum, tanta arte ſagittam direxit, vt eam ſerpentis in vulnere defigeret, nec filium tangeret.

Codri] Rex Athenienſium hic fuit, qui bello aduerſus

Laconas

Laconas, vt ait Seruius, aut Dorienſes, vt Iuſtinus libro ſecundo, ad Thracenſes, vt Plutarchus ait, ſuſcepto, cũ reſponſum eſſet victores hoſtes fore, niſi rex Atheniẽſium caderet, Codrus habitu ſimulato, in hoſtium turbam irrupit, & interfectus eſt: eáque re cognita hoſtes fine prælio abierunt: huius meminit Horatius tertio Odarum, Ode decima nona,

Quantùm diſtet ab Inacho
Codrus pro patria non timidus mori
Narras-

Incipe] Anaphora eſt. *Tityrus*] Ex Idyllio primo,

τὰς δ' αἶγας ἐγὼν ἐν τῷδε νεμεῦσῶ.
Capras autem ego intereà paſcam.

Immo] Correctio propoſitionis è diſſimili, vbi repetitur cauillatio cum doloris ſignificatione: Similis quædam eſt Idyllio ſeptimo,

ὅρη φίλος, εἴ τοι ἀρέσκει
τοῦθ' ὅ,τι πρὰν ἐν ὄρει τὸ μελύδριον ἐξεπόνασα.
Vide amice ſi tibi placet,
Ea quam anteà in monte cantilena elaboraui.

Fagi] fuit ecloga prima,

Tityre tu patulæ recubans ſub tegmine fagi.

Item ecloga ſecunda,

Tantum inter denſas vmbroſa cacumina fagos,

Vt hæc arbor opacitate ſua paſtorum carminibus delectata videatur. *Alterna*] Varia, ait Seruius, vel ἀμοιβαῖα vt anteà in illo verſu,

Alternis dicetis, amant alterna Camœnæ.

certet] Idyllio quinto,

αὐτόθι μοι ποτέρισδε, καὶ αὐτόθι βωκολιάσδευ.
Iſtinc mihi contende, & iſtic bucolicè cane.

Lenta] emendatur cauillatio contraria parium collatione ad laudem Mopſi. *Saliunca*] Celticum nardum naſcitur in Liguriæ alpibus, ſaliũca patrio nomine appellatum, prouenítque in Iſtria, & exiguè fruticat, & cum radicibus in manuales faſciculos componitur, ait Dioſcorides, libri primi capite ſeptimo. *Sed tu*] re-

uocatio contentiunculæ,deinceps ἐπικήδιον ſequitur,id eſt funebre carmen nondum humato corpore: Partes tres ſunt,prima eſt ex adiuncto luctu matris,nympharum:boum,pecudum,leonum. *crudeli*] Alij Iulium Cæſarem hîc accipiunt viginti tribus vulneribus confoſſum:alij Flaccum Maronis fratrem,vt in Virgilij vita dictum eſt:de quo eſt illud,

Triſtia fata tui dum fles in Daphnide Flacci,
Docte Maro, fratrem diis immortalibus æquas.

Alij Quintilium cognatum Virgilij, de quo Horatius Odarum primo,Ode viceſima quarta:

Nulli flebilior quàm tibi Virgili.

At res ſimpliciter intelligi poteſt,ficti nempe argumēti,cùm Theocriti imitatio appareat. *Vos*] Ratio eſt è teſtimonio hyperbolico,vt paulò pòſt erit,

-Montéſque feri ſyluæque loquuntur.

Talis locus longè ampliſſimus Idyllio decimo nono in epitaphio Bionis,

αἰλινά μοι στοναχεῖτε νάπαι, καὶ Δώριον ὕδωρ,
καὶ ποταμοὶ κλαίοιτε τὸν ἱμερόεντα Βίωνα·
Νῦν φυτά μοι μύρεσθε, καὶ ἄλσεα νῦν γοάοισθε.
Miſerè mihi ſuſpirate ſaltus & Dorica aqua,
Et flumina flete ſuauem Biona:
Nunc plantæ mihi lugete, & nemora nunc vlulate.

Et totus locus viceſimo tertio Idyllio. Tale eſt epitaphium Adonidis. *Atque deos*] ſic AEneidos tertiò,

Quem non incuſaui amens hominúmque deûmque.

Non vlli] Tale eſt in Iulio Cæſare apud Suetonium capite octogeſimo primo: Proximis diebus equorum greges quos in traiiciendo Rubicone flumine cōſecrarat, ac vagos ſine cuſtode dimiſerat, comperit pertinaciſſimè pabulo abſtinere, vbertímque flere: Locus autem eſt è primo Idyllio Theocriti,

τῆνον μὰν θῶες, τῆνον λύκοι ὠρύσαντο,
τῆνον χ᾽ ὠ᾽κ δρυμοῖο λέων ἀνέκλαυσε θανόντα.
Illum quidem Thoes, illum lupi vlularunt,
Illum è ſylua leo refleuit mortuum.

Item,

Item, πολλαὶ οἱ παρ' ποσὶ βόες, πολλοὶ δέ τε ταῦροι,
πολλαὶ δ' αὖ δαμάλαι καὶ πόρτιες ὠδύραντο.
Multæ ei ad pedes boues, multi verò etiam tauri,
Multæ etiam iuuencæ & vitulæ luxerunt.

Et Idyllio decimo nono,
ὤρεα δ' ἐστιν ἄφωνα, καὶ αἱ βόες αἱ ποτὶ ταύροις
πλαζόμεναι γοάοντι, καὶ οὐκ ἐθέλοντι νέμεσθαι.
Montes autem ſunt muti, & boues apud tauros
Errantes lamentantur, & non volunt paſci.

paſtos] Actiuè ſumitur, ſicut ecloga ſeptima,
Cùm primùm paſti repetent præſepia tauri:
cùm priùs paſſiuè ſumptum ſit,
-Florem depaſta ſalicti- ecloga prima.

Daphnis] Secunda pars de factis, quæ Seruius putat ad Iulium Cæſarem pertinere, quia Bacchanalia primus Romam tranſtulit: at contrà mox intelligetur de Bacchanalibus. *curru*] pro, Currui, & veteres ſæpe quartæ declinationis eiuſmodi nomina per u in datiuo dicebant, vt ait Gellius libri quarti capite decimo ſexto: & ſic Virgilius ſexto AEneidos,
-Téque aſpectu ne ſubſtrahe noſtro.
& 9. *Venatu inuigilant pueri.* pro aſpectui, & venatui: Sic apud eundem poëtam, ſinu, portu, concubitu, metu leges: hîc autem ex adiũctis periphraſis Dionyſiacorũ, ſeu Liberalium & Bacchanalium: Bacchus enim tigribus vehebatur, & Bacchantes ſaltabant, Thyaſos & pãpinis intertextis haſtas gerebant. *Thyaſos*] thyaſus eſt conuiuium è ſymbolis ſingulorum, item pompa & chorea Dionyſiaca: nunc θυμίασμος, cœtus in honorem Liberi patris. De Bacchanalibus Blõdus de Roma triumphante ſecundo libro ita ſcribit: Et Bacchanalia Libero patri Baccho dicata, temporis longitudine per autumnũ Saturnalibus paria maiore luxu celebrata ſunt: Nudi enim viri cum nudatis omnia membra mulieribus, matronis, viduis & virginibus ad ſacra conueniebant: quæ non niſi nocturna erant: caput omnes pariter femoraliáque pampinis & vuarum racemis cincti:

alios item vuarum racemos manu tenebant, & tumultuario inuicem commixti cœtu, in ſublime ſaltãtes, variáque geſticulatione brachia, ceruicem, capútque mouentes, carmen Baccho inconditum decantabant, nec priùs erat ſaltationis modus, quàm defatigati & toto corpore vacillantes, partim reſupinarentur proximioribus inhærentes, partim in pauimentũ phanatici amẽtéſque procumberent, vt rectè ſenſerint Marcus Varro talia niſi ab amentibus fieri nõ potuiſſe. Quid verò inceſtuũ conſtuprationúmq; in huiuſmodi nocturnis cõuentibus ſit cõmiſſum, Liuius libro quadrageſimo ſcribit, vbi cognoſces multis ante Iulium Cæſarem temporibus ea ſacra Romæ fuiſſe. *Haſtas*] periphraſis eſt thyaſorum. *Vitis*] Tertia pars è diſſimilitudine viui & mortui Daphnidis: protaſis ornatur quatuor ſimilib⁹. Locus eſt ſimilis Idyllio octauo Theocriti,

τᾷ δρυῒ ταὶ βάλανοι κόσμος, τᾷ μαλίδι μᾶλα,
τᾷ βοὶ δ' ἁ μόσχος, τῷ βωκόλῳ αἱ βόες αὐταί.
Quercui glandes ornatus, malo mala,
Boui autem vitulus, bubulo boues ipſæ.

Vitis vt arboribus] vitis arbuſtiua de qua ſecundo Georgico. *Poſtquam*] Antapodoſis ex adiunctis malis poſt mortem ſecutis. *Pales*] Pales dea paſtorum, de qua initio tertij Georgici. *Apollo*] Νόμιος intellige: hic enim pauit annos decem regis Admeti armentum, quia Cyclopes, à quibus Æſculapius eius filius cæſus erat, interemiſſet, cùm tamen Ioui fulmina Fabricati eſſent.

Lolium] Græcis eſt ζιζάνιον: Francis yuræa: verſus idem repetitur primo Georgico,

Lappæque tribulique intérque nitentia culta,
Infœlix Lolium & ſteriles dominantur auenæ.

Officit oculis, quòd Ouidius primo Faſtorum teſtatur,

Et careant Loliis, oculos vitiantibus agri.

Auenæ] Auena primum frumenti vitium eſt, ait Plinius libri decimi octaui capite decimo ſeptimo: ſterilis porrò dicitur ad differentiam ſatiuæ: vana pro eodem dicitur primo Georgico,

Expe-

Expectata ſeges, vanis eluſit auenis:

Francis auenceron dicitur. *Paliurus*] Paliurus Dioſcoridi, libri primi capite centeſimo quarto, frutex eſt aculeatus, durus, cuius ſemen pingue & fuliginoſum: Francis eſt albus ſpinus: viceſimo tertio Idyllio,

ὡς τῆνος τέθνακε, καὶ ἄνθεα πάντ᾽ ἐμαράνθη.

Cùm ipſe mortuus eſt, etiam flores omnes tabefacti ſunt.

Spargite] Adhuc ἐπικήδιον fuit, ſequitur ἐπιτάφιον, de ſepulchro & ſepulchri inſcriptione: vide ſexto AEneidos de Miſeno ſepulchrorum ceremonias. Notabis autem hîc deſcribi ſepulchrum herois: heroes enim creduntur in fontibus & montibus habitare.

Superaddite carmen] Idyllio viceſimo octauo ſic iubet amator infœlix epitaphium à ſe dictatum ſuperſcribi,

γράψον καὶ τόδε γράμμα, τό σοι ςίχοισι χαράξω.

Inſcribe & hoc epigramma quod tibi verſibus exarabo.

Syluis] notabis in hoc nomine perpetuum bucolici carminis ſubiectum, vt anteà. *Formoſi formoſior*] paronomaſia: Simile eſt Idyllio primo de Daphnide,

Δάφνις ἐγὼν ὅδε τῆνος, ὁ τὰς βόας ὧδε νομεύων,

Δάφνις ὁ τὼς ταύρως καὶ πόρτιας ὧδε ποτίσδων.

Daphnis ego hic ille, boues hîc paſcens,

Daphnis tauros & iuuencas hîc aquans.

Tale tuum] Tertia pars eclogæ in apotheoſi, cuius exordium ſumitur è diſſimili laude ſuperioris carminis, & extenuatione ſequentis. Laus illa ſimilibus & paribus explicatur. *Diuine*] Metaphora, vel reuera, quoniã notum eſt illud Ouidij,

Eſt deus in nobis agitante caleſcimus illo.

Quale] Locus eſt in primo Theocriti Idyllio,

ἅδιον ὦ ποιμὰν τὸ τεὸν μέλος, ἢ τὸ καταχὲς

τῆν᾽ ἀπὸ τᾶς πέτρας καταλείβεται ὑψόθεν ὕδωρ.

Dulcius ô paſtor tuum carmen, quàm reſonans

illa à petra diſtillat ſupernè aqua.

Et Idyllio octauo,

ἁδὺ δὲ τῶ θέρεος παρ᾽ ὕδωρ ῥέον αἰθριοκοιτεῖν.

Dulce autem æſtate apud aquam fluentẽ ſub dio dormire.

& ibid. ἁδύ τι τὸ ςόμα τοι, καὶ ἐφίμερος, ὦ Δάφνι, φωνά.

κρέσσον μελπομένω τεῦ ἀκουέμεν, ἢ μέλι λείχειν.

Dulce quid os tibi, & deſiderabilis ô Daphni, vox:

Meliùs modulantem te audire, quàm mel lingere.

Sopor] Idyllio quinto,

- εἴρια τᾷδε πατησεῖς,

αἴκ' ἔνθῃς, ὕπνῳ μαλακώτερα.

- Lanas hîc calcabis,

Si veneris, ſomno molliores.

Eſt carminis laus. *Nec calamus*] hîc par eſt, ſed maius interponitur, Nec ſolùm, ſed: vbi interpretes Theocritum magiſtrum intelligunt, Virgilium diſcipulum: allegorias tamen hîc interpretari nihil neceſſe eſt.

Alter] Id eſt ſecundus, aiunt hîc interpretes: at ſi par eſt diſcipulus magiſtro, neuter primus erit aut ſecundus: alter igitur hîc eſt qui pòſt ſit pari loco, vt amicus alter ego. Et ſic Idyllio primo,

- μετὰ Πᾶνα, τὸ δεύτερον ἆθλον ἀποισῇ

- Poſt Panem, ſecundum præmium feres.

Nos tamen] Antapodoſis eſt diſſimilitudinis ad extenuationem, vbi Menalcas ἀποθέωσιν profitetur. Ratio eſt ex adiuncto amore. *An quicquam*] adhibetur ad excitandum mutua commendatio futuri carminis ex eius adiuncta gratia, & ſubiecta perſonæ dignitate, & teſtimonio. *Candidus*] ἀποθέωσις & cōſecratio hîc incipit, ex adiunctis, id eſt publica lætitia, quæ per partes declaratur: Qualis autem fuerit ἀποθέωσις tum Romæ in funeribus Imperatorum, vide Herodianū libro 4. *Candidus*] Lacteum fortaſſis hîc circulū reſpicit, vbi Romani putabant heroas ſuos habitare. Sic enim Cicero Scipionē ſomniantem, loquentem facit in excelſo & pleno ſtellarum illuſtri & claro loco, id eſt lacteo circulo. *Limen*] Synecdoche eſt ex parte totum ſignificans: limen enim tranſuerſum in ianua lignū ſignificat ſuperū vel inferū, & hîc pro ianua ſumitur. *Alacres*] cōtrariam triſtitiam ἐπικήδιον habuit: nymphæ fleuerunt, pecudes à potu paſtúque abſtinuerūt, leones ingemuerūt. *Dryadas*] Nymphæ

phæ quæ inter arbores habitãt, Dryades ſunt, vt iam dictum eſt ecloga ſecunda. *Nec lupus*] Tale fuit ecloga 4.

-Nec magnos metuent armenta leones.

Retia] metonymia pro retiariis. *Bonus*] Ratio lætitiæ ex adiunctis perſonæ. *Ipſi*] Secundus ἀποθεώσεως locus è publicæ & inuocationis & confeſſionis teſtimonio. *Ipſi, ipſæ, ipſa*] polyptoton quale fuit ecloga prima,

-Ipſæ te Tityre pinus,
Ipſi te fontes, ipſa hæc arbuſta vocabant.

Deus deus] Epizeuxis eſt, qualis anteà fuit, *Ah Corydon corydon*: & ſexto AEneidos,

Ventum erat ad limen, cùm virgo, Poſcere fata
Tempus, ait: deus ecce deus-

O fœlix] Exclamatio eſt, & fœlix pro propitio, primo AEneidos ſic videtur dici,

Sis fœlix, noſtrúmque leues quæcunque laborem.

Idyllio decimo quinto,

ἵλα νῦν φίλ᾽ Ἄδωνι, καὶ ἐς νέωτ᾽ εὐθυμήσαις,
propitius ſis nunc dilecte Adoni, & in poſterum lætifices.

En quattuor] Tertius locus ἀποθεώσεως ex adiunctis ſacrificiis, quæ per partes latiùs explicãtur, aras, lac, oleũ, vinum, muſicam & ſaltationem: Seruius diſtinguit aras ab altaribus, quòd hæc tãtùm ſint ſuperiorum deorum, illæ etiam inferorum: eũdémque in cœlo Solem, in terris Bacchum, & apud inferos Apollinem facit: quod ad locum hunc nihil attinet, ſed aras noui dei altaribus authentici dei coniungit. *Spumantia*] metonymia eſt, qua ſignificat idem quod epitheto ſignificatum eſt (nouo) ſic AEneidos primo,

-Ille impiger hauſit
Spumantem pateram, & pleno ſe proluit auro:

Vbi & vini vis recentis exponitur. *Craterâſque*] locus eſt è quinto Idyllio,

στασῶ δὲ κρητῆρα μέγαν λευκοῖο γάλακτος
ταῖς νύμφαις, στασῶ δὲ καὶ ἁδέος ἄλλον ἐλαίω.
Statuam autem crateram magnum albi lactis
Nymphis, ſtatuam autem etiam dulcis alium olei.

Sed in ſeptimo Idyllio, de Cerealibus locus eſt copioſior ſimilis magis quàm idem,

> τὸν πτελεατικὸν οἶνον ἀπὸ κρητῆρος ἀφυξῶ,
> παρ' πυρὶ κεκλιμένος· κύαμον δέ τις ἐν πυρὶ φρυξεῖ,
> χ' ἁ στιβὰς ἑσσεῖται πεπυκασμένα, ἐς τ' ἐπὶ πᾶχυν
> κνύζᾳ τ' ἀσφοδέλῳ τε πολυγνάμπτῳ τε σελίνῳ.
> καὶ πίομαι μαλακῶς μεμναμένος Α'γάνακτος,
> αὐτοῖσιν κυλίκεσσι, καὶ ἐς τρύγα χεῖλος ἐρείδων.
> Αὐλησεῦντι δέ μοι δύο ποιμένες· εἷς μὲν Α'χαρνεὺς
> εἷς δὲ Λυκωπίτας, ὁ δὲ Τίτυρος ἐγγύθεν ᾀσεῖ·
> *Ptelεaticum vinum è cratera exhauriam*
> *Apud ignem inclinatus, fabam aliquis in igne torrebit,*
> *Et lectus erit ornatus vſque in vlnam*
> *Cnyzáque ferulàque multum flexibilíque apio.*
> *Et bibam molliter recordans Ageanactis,*
> *Ipſis poculis: & in fecem labrum firmans.*
> *Tibia canent autem mihi duo paſtores, vnus quidem Acharneus,*
> *Vnus autem Lycopitas: hìc autem Tyturus propè canet.*

Baccho] Metonymia pro vino. *Calathis*] calathus anteà quaſillus fuit: hîc eſt calyx. In tertio Georgico vas eſt quo lac exprimitur. *Aruiſia*] Straboni libro decimo quarto Aruiſia locus eſt in Chio inſula aſper & importuoſus, vbi vinum græcanicorum optimum naſcitur: Stephano dicitur Arſyſia, & vinum arſyſinũ: hodie vulgò maluaſinum aut maluaſium dicitur. *Nectar*] Nectar potus eſt deorum vt poëtæ fabulãtur, immortalitatem fabulis ſuis indicantes: à (νε) quod in compoſitis verbis negatiuum eſt, & κτείνω occîdo. Sic apud Martialem:

> *Iuppiter ambroſia ſatur eſt, & nectare viuit.*

Lyctius] Lyctus eſt oppidum Cretæ, vnde Lyctius modò dicitur. *Satyros*] Satyrus animal eſt in vltimis Lybiæ gentibus in quo præter effigiẽ nihil eſt hominis: miniſter autem Bacchi dicitur propter libidinem: vnde etiã nomen habet: σάθη ſiquidem græcis eſt veretrum ſeu virile membrum. *Imitabitur*] Symbolum ſimilitudinis eſt in hoc verbo, id enim eſt, more Satyrorum ſaltabit.

Alpheſi-

Alpheſibœus] Paſtoris fictum nomen eſt: ἀλφέω enim eſt inuenio & βοῦς βοός, bos, velut inuentor boum.

Hæc tibi] Notatur ſacrificij tempus duplex quotannis.

Luſtrabimus] Ambarualia ſignificat, de quibus iam anteà dictum eſt ecloga ſecunda ad illum verſum,

Cùm faciam vitula pro frugibus.

Dum] Diuinitatis perpetuitas ad extremum declaratur quatuor pariũ collãtione, quæ 1. AEneidos iteratur,

In freta dum fluuij current, dum montibus vmbræ
Luſtrabunt, conuexa polus dum ſydera paſcet.

Thymo[Thymus vel thymum, herba hortenſis odorata, quo tantum delectantur apes, vt eo largè florente, prouentum ſperent apiarij, ait Plinius libri viceſimi capite 10. *Rore cicadæ*] de cicadis ecloga 1. diximus in illo verſu,

At mecum raucis reſonant arbuſta cicadis:

vnum autem hoc animal ore caret, & foramine quo eiiciantur excrementa corporis: pro ore tamen habet in pectore quiddam linguæ ſimile, quo rorem lambit: excitata verò humorem reddit, quod ſolum argumentum eſt rore eaſdem ali, ait Plinius libri vndecimi capite viceſimo ſexto: quarto Idyllio,

-μή πρῶκας σιτίζεται, ὥσπερ ὁ τέττιξ;
Num rores paſcit, quemadmodum cicada?

Vt Baccho] declaratur eadem diuinitas ſimilitudine duorum deorum. *Damnabis*] cùm tui numinis cultoribus pro votis eorum adfueris, obligatos votis & veluti damnatos habebis: paulò ſecus primo AEneidos,

-Vocabitur hic quoque votis.

Macrobius tamen ait eos votis damnatos eſſe, qui promiſſa vota iam perſoluerunt: vt ſit damnatus votis, quod voti compos, quod quàm verum ſit, conſiderabis. Explicationem autem illam noſtram Erythræus ampliſſimè nobis ita tradidit. *Damnabis votis*] Non, liberabis, accipiendum eſt, vt Nonius & Agreſius interpretantur, ſed contrà, damnabis, obligabis, intellige. Et quaſi quadam neceſsitatis damnatione obnoxios red-

des agricolas, ad vota ſoluenda, dum tu illis tanquam verum & præſens numen adfueris: vt damnati propriè hi dicantur, non qui vota tantùm fecerint, ſed qui etiam ab ipſo deo optata impetrauerint: vnde tunc votorum perſolutionis ſe reos omnino factos, quaſi ex numinis parte voti concepti conditione adimpleta, maximè intelligerent. Nam ita mortalium vulgus deo vouere ſolet, vt ſub conditione cum ipſo quaſi contrahat, vt ſcilicet non alia ratione ſe voti damnatum & reum velit, quàm ſi votis petita obtinuerit. Id autẽ à poëta ex perſona Mopſi ideo dictum eſt, vt Daphnim numen omnino præſentiſſimum agricolis fore oſtenderet. Quare, cùm dixit, agricolæ tibi vota facient: quia id ad probandum numen non ſufficeret, quòd votorum ſuſceptio tota de ipſorum agricolarum opinione penderet, addidit,

Damnabis tu quoque votis, id eſt vota eorum implebis, vnde deus appareas agricolarum, & ita tibi votis damnati ſint, id eſt, eorum ſolutioni obnoxij. Hanc autem reddendi voti neceſſitatem Maro rerũ omniũ prudentiſsimus, verbo pontificio, & votorum proprio expreſſit, ſicut & alibi, *voti reus*, dixit: nam vota reddere, vt etiã vox illa diuina Chriſtianorum auribus inclamat, *Vouete, & reddite*, omnino neceſſe eſt: nec minùs ſanè, quàm ſententia, aut iudicio damnatos, pœna ſoluere. Vnde etiam in iure ciuili noſtro, titulo de Legatis primo, ſpecies illas legatorum per damnationem factas legimus. Vt apud Vlpianum per initia tituli: Quiſquis mihi gallicanarum rerum hæres erit, damnâs eſto tot dare, id eſt, damnatus eſto. Et apud Paulum, eodem titulo Teſtator ab hæredibus ita legat: Lucius Titus, & G. Seius P. Meuio decẽ date dãnâs ſunto, id eſt, dãnati. Quod quidem quartum legatorum genus per ſolennitatẽ verbi Damnâs neceſſitatem quandam hæredibus omnibus ſoluere legatariis tenerentur, etiã ſi damnoſam hæreditatem adiiſſent, & res aliena legata eſſet. Quæ poſtea verbi ſolennitas atque neceſſitas (vt interim in re perquam

quam digna ſcitu, iuriſperitum agam, id eſt, muneris mei non obliuiſcar) cum reliquis tribus legatorum generibus, quæ olim in vſu erãt, ſcilicet, per vendicationẽ, ſinendi modo, & per præceptionem, quibus etiam ſingulis generibus certa quędam verba aſsignata erãt, per quæ illa ſignificarentur, conſtitutionibus diuorum principũ penitus ſublata eſt. Quippe cùm per omnia æquata ſunt legata fidei commiſsis, vt habetur Digeſtis, eodẽ titulo, ſymbolo, ne lege dicam, quæ non eſt, Vlpiani primo, & inſtitutionibus, eodem titulo. Sed illud quoque non diſsimulandum, quod legimus antiquitatem non modò damnatum voto, ſed etiam voti condemnatum dixiſſe. Titinnius Veliterna, vt eſt in exemplis Marcelli, ait fortaſſe votum fuiſſe, quo die liber foret, nũc eius voti condemnatus eſt, immolauit hoſtiam. Et Turpilius Leucadia: & ampliùs illum apparere condecet, quandoquidem voti condemnatus eſt. *Quæ tibi*] Collaudatur ἀποθεώσεως carmen, paſtorali trium minorum collatione. *Sibilus*] Sibilus, & in plurali ſibili vel ſibila, propriè eſt ſonitus oris humani, dentibus compreſsis, & parum diductis labris, expreſſus: hîc ſynecdoche eſt ex ſpecie genus ſignificans, pro flatu enim ſumitur.

Auſtri] -*Floribus auſtrum*, fuit ecloga ſecunda. *Percuſſa littora*] paſtoribus tempeſtatem ſpectantibus & fluctus eius numerantibus magna voluptas eſt: fluctus autem illos paulatim creſcere indicant illæ Maronis collationes tertio Georgico:

Fluctus vt in medio cœpit cùm albeſcere ponto
Longiùs, ex altóque ſinum trahit, vtque volutus
Ad terras immàne ſonat per ſaxa, nec ipſo
Monte minor procumbit: at ima exæſtuat vnda
Vorticibus, nigrámque altè ſubuectat arenam.

Item ſeptimo AEneidos,

Fluctus vt in medio cœpit cùm albeſcere vento,
Paulatim ſeſe tollit mare, & altiùs vndas
Erigit, inde imo conſurgit ad æthera fundo.

Ouidius primo Triſtium, maximum facit omnium

fluctuum decimum,

Qui venit hinc fluctus, fluctus ſupereminet omnes,
Poſterior nono eſt vndecimóque prior.

Et vulgò decumanus fluctus dicitur pro maximo, vt in caſtris porta decumana. Sic rurſus idem poëta,

- Decimæ ruit impetus vndæ.

Et Lucanus quinto Pharſaliæ:

Hæc fatum, decimus, dictu mirabile fluctus
Inualida cum puppe leuat.-

Hinc porta decumana, oua & pyra decumana pro maximis. fluctus autem numerare ſecundo ad Atticum libro Tullius dixit pro otiari ac planè nihil agere, ex eóq; voluptatem capere, quod huic paſtoritiæ collationi cōuenit. *Saxoſus*] Ex Idyllio primo.

ἅδιον ὦ ποιμὰν τὸ τεὸν μέλος, ἢ τὸ καταχὲς
τῆν' ἀπὸ τᾶς πέτρας καταλείβεται ὑψόθεν ὕδωρ.

Iucundius ô paſtor tuum carmen eſt, quàm quæ reſonans
Illa de ſaxo defluit ex alto aqua.

Hac te] Concluditur ecloga, mutua paſtorum liberalitate: Menolcas fiſtulam donat & commendat ex adiunctis, quòd ea ſecundam & tertiam eclogam cantare didicerit. *Cicuta*] Cicuta priùs fuit internodium:

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula-

Herba autem hîc eſt venenoſa, & publica Athenienſium pœna infamis, attamen caulis eius eſtur à pleriſque, & ſæpe altior eſt binis cubitis, ait Plinius libri viceſimi quinti capite decimotertio. Itaque paſtores ex eius calamo fiſtulam ſibi conficiunt. Talis igitur eſt metonymia, qualis fuit in auena & calamo & ſtipula.

Formoſum] Synecdoche eſt ex parte totum ſignificans, quomodo iureconſulti leges appellant primis legū nominibus. Quomodo Cicero tertia epiſtola decimiſexti ad Atticum loquitur: Quòd verò ſcribis te magis delectari: O Tite ſi quid ego: ſi quid agis, addis mihi ſcribendi alacritatem: hîc initium libri de Senectute pro libro toto poſitum eſt. *At tu*] Mopſus donat ſuum pedum

dum, id eſt baculum curuum, quo pedes ouium paſtores trahunt, & ſuis item adiunctis commendat, quòd quanuis à formoſo poſtore rogatum, non tamen ſit datum, quòd nodis & ære ſit formoſum. Idyllio ſeptimo.

-ὁ δ' αἰπόλος ἀδὺ γελάσας
τάν τοι ἔφα, κορύναν δωρήσομαι.
-Hic autem caprarius ſuauiter ridens
Hanc tibi, dixit, virgam donabo.

Formoſum] Similis quædam liberalitas Idyllio primo, ſed aliis argumentis expoſita. Item ſexto de Damœta & Daphnide,

χ' ὠ μὲν τῷ σύριγγ', ὁ δὲ τῷ καλὸν αὐλὸν ἔδωκεν.
Et hic quidem huic fiſtulam, illè autem huic pulchram tibiam dedit.

Antigenes] Nomen è ſeptimo Idylllio.

ECLOGA SEXTA.

Silenus.

Poëta.

PRima Syracuſio dignata eſt ludere verſu
Noſtra, nec erubuit ſyluas habitare, Thalia.
Cùm canerem reges & prælia, Cynthius aurem
Vellit, & admonuit: paſtorem Tityre, pingues
Paſcere oportet oues, deductum dicere carmen.
Nunc ego (nanque ſuper tibi erunt, qui dicere laudes
Vare tuas cupiant, & triſtia condere bella)
Agreſtem tenui meditabor arundine muſam.
Non iniuſſa cano. ſiquis tamen hæc quoque, ſiquis
Captus amore leget, te noſtræ Vare myricæ,
Te nemus omne canet: nec Phœbo gratior vlla eſt,
Quam ſibi quæ Vari præſcripſit pagina nomen.
Pergite Pierides. Chromis & Manaſylus in antro
Silenum pueri ſomno videre iacentem,

Inflatum heſterno venas, vt ſemper, Iaccho.
Serta procul tantùm capiti delapſa iacebant:
Et grauis attrita pendebat cantharus anſa.
Aggreſſi (nam ſæpe ſenex ſpe carminis ambos
Luſerat) iniiciunt ipſis ex vincula ſertis.
Addit ſe ſociam, timidíſque ſuperuenit Aegle,
Aegle Naïadum pulcherrima: iámque videnti,
Sanguineis frontem moris, & tempora pingit.
Ille dolum ridens, Quò vincula nectitis? inquit.
Soluite me pueri: ſatis eſt potuiſſe videri.
Carmina, quæ vultis, cognoſcite: carmina vobis,
Huic aliud mercedis erit. ſimul incipit ipſe.
Tum verò in numerum Faunóſque, feráſque videres
Ludere: tum rigidas motare cacumina quercus.
Nec tantùm Phœbo gaudet Parnaſſia rupes:
Nec tantùm Rhodope miratur, & Iſmarus Orphea:
Námque canebat vti magnum per inane coacta
Semina terrarúmque, animæque, maríſque fuiſſent,
Et liquidi ſimul ignis: vt his exordia primis
Omnia, & ipſe tener mundi concreuerit orbis.
Tum durare ſolum, & diſcludere Nerea ponto
Cœperit, & rerum paulatim ſumere formas:
Iámque nouum terræ ſtupeant luceſcere Solem:
Altius atque cadant ſummotis nubibus imbres:
Incipiant ſyluæ cùm primùm ſurgere: cúmque
Rara per ignotos errent animalia montes.
Hinc lapides Pyrrhæ iactos, Saturnia regna,
Caucaſeáſque refert volucres, furtúmque Promethei,
His adiungit Hylam, nautæ quo fonte relictum

Cla-

Clamaſſet, vt littus Hyla Hyla, omne ſonaret.
Et fortunatam, ſi nunquam armenta fuiſſent,
Paſiphaën niuei ſolatur amore iuuenci:
Ah virgo infœlix, quæ te dementia cœpit?
Prætides implerunt falſis mugitibus agros:
At non tam turpes pecudum tamen vlla ſecuta eſt
Concubitus, quamuis collo timuiſſet aratrum,
Et ſæpe in leui quæſiſſet cornua fronte.
Ah virgo infœlix, tu nunc in montibus erras:
Ille latus niueum molli fultus hyacintho,
Ilice ſub nigra pallentes ruminat herbas,
Aut aliquam in magno ſequitur grege: claudite Nym-
phæ
Dictææ, Nymphæ nemorum iam claudite ſaltus:
Si quà fortè ferant oculis ſeſe obuia noſtris
Errabunda bouis veſtigia: forſitan illum
Aut herba captum viridi, aut armenta ſecutum
Perducat aliquæ ſtabula ad Gortynia vaccæ:
Tum canit Heſperidum mirantem mala puellam.
Tum Phaëthontiadas muſco circundat amaræ
Corticis, atque ſolo proceras erigit alnos.
Tum canit errantem Permeſſi ad flumina Gallum,
Aonas in montes vt duxerit vna ſororum,
Vtque viro Phœbi chorus aſſurrexerit omnis:
Vt Linus hæc illi diuino carmine paſtor,
Floribus atque apio crines ornatus amaro
Dixerit, Hos tibi dant calamos (en accipe) muſæ,
Aſcræo quos antè ſeni, quibus ille ſolebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynei nemoris dicatur origo:

Ne quis ſit lucus quo ſe plus iactet Apollo.
Quid loquar? aut Scyllam Niſi, aut quam fama ſecuta eſt,
Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris
Dulichias vexaſſe rates, & gurgite in alto
Ah timidos nautas canibus laceraſſe marinis?
Aut vt mutatos Terei narrauerit artus?
Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit:
Quo curſu deſerta petiuerit, & quibus antè
Infælix ſua tecta ſuperuolitauerit alis?
Omnia, quæ Phœbo quondam meditante beatus
Audiit Eurotas, iuſsítque ediſcere lauros,
Ille canit, pulſæ referunt ad ſydera valles:
Cogere donec oues ſtabulis, numerúmque referre
Iuſsit, & inuito proceſsit veſper Olympo.

IN SEXTAM EGLOGAM.

ECLOGA ſexta Epicurei Sileni varia carmina complectitur: Octo enim diuerſa ſunt. Primum de Epicuri philoſophia, ſecundum de Hyla, tertium de Paſiphaë, quartum de malis Heſperidum, quintum de Phaëthontiadibus, ſextum de Gallo, ſeptimum de Scylla, octauum de Tereo: denique omnia comprehendit carmina Apollini nota: Sed præcipuus & primus locus eſt de Epicuri philoſophia, & ideo ecloga in honorem Quintilij Vari ſeu Varri (varia enim huius nominis eſt orthographia) videtur eſſe compoſita: hæc autem ecloga dicitur à Virgilio, ingenti fauore fuiſſe recitata, vt cùm eam poſtea Cytheris cãtaſſet in theatro, ſtupefactus Cicero, requiſierit cuius eſſet: & cùm authorem tandem vidiſſet, dixiſſe fertur ad ſuam & Virgilij laudem,

-magnæ ſpes altera Romæ,

ait Seruius, ſecutus fabulam Donati, de qua in Virgilij vita dictum eſt. Initio autem poëta ſignificat, ſed obſcuriùs, dicturum ſe laudes Vari carmine Bucolico, quia primum id eius carmen ſit. Ratio eſt ex adiunctis. *Syracuſio*] alij Syracoſio, ne, u, ſyllaba antepenultima ex, ȣ, diphthongo deſcendens, contra artem contrahatur. Caſus eſt græcanicus, pro Syracuſano, qualis fuit ecloga quarta, Sicelides pro Sicilienſes. *Syracuſio*] Periphraſis carminis Bucolici ex eius authore Theocrito, quem Virgilius hîc imitatur, & eius ſubiecto, circa quod occupatur, quod toties iam vſurpatum ecloga prima,

Syluestrem tenui muſam meditaris auena,

Item, *Formoſam reſonare doces Amaryllida ſyluas,*

Et 2. *Montibus & ſyluis ſtudio iactabat inani,*

Itē, *Mecum vna in ſyluis imitabere Pana canendo,*

Itē, *- habitarunt dij quoque ſyluas,*

Itē 4. eclo. *Si canimus ſyluas, ſyluæ ſint Conſule dignæ.*

Et 5. eclo. *Daphnis ego in ſyluis hinc vſque ad ſydera notus:*

Item, *- montéſque feri ſyluæque loquuntur,*

Et nunc, *- Nec erubuit ſyluas habitare Thalia.*

Thalia] θάλεια debuit eſſe thalea, vt κυθέρεια, Cytherea. ergo græcanica & hæc inflexio eſt, ait Seruius, θάλεια autem viriditas, celebritas, lætitia, feſtiuitas eſt latinè: θαλέω & θάλλω verbum id ſignificat. *Cùm canerem*] Cōfirmatio tandem eſt è teſtimonio diuino, quo reuocatum ſe dicit ab Heroico carmine: res enim Romanas aggreſſus erat initio, ſed aſperitate nominum deterritus omiſit, ait Donatus, & poſt eum Seruius. *Cynthius*] Apollo dicitur Cynthius: Cynthus enim Deli inſulæ mons eſt, vbi natus eſt Apollo & Diana. *Aurem*] Aurem vellere quid ſit, & quid hac metonymia ſignificetur, Virgilius hîc interpretatur, id eſt admonere: & ſic Seneca libro ſecūdo de Beneficiis loquitur: Loquar mecum & mihi aurem vellam. Ratio autem tropi non ſpecies à Seruio proponitur, quia auris (ait) eſt memoriæ conſecrata, vt frons Genio, digiti Mineruæ, genua miſericordiæ. Idyllio quinto,

οὐκ ἔραμ' Ἀλκίππας, ὅτι με πρὰν οὐκ ἐφίλασε
τῶν ὤτων κατελοῖσα.
Non amo Alcippen, quòd me prius non oſculata eſt
Aures deprehendens.

paſtorem] Proſopopœia eſt Apollinis, vbi ex coniugatis eſt ratio, paſtor paſcere. *Deductum*] Metaphora eſt à lana, quæ dum tenuatur in filum, deducitur: Quintilianus libri octaui capite ſecundo: Propriè autem, ait, quo nihil ſignificãtius: vt Cato dixit Cæſarem ad euertendam Rempublicam ſobrium acceſſiſſe: vt Virgilius deductum carmen: & Horatius acrem tibiam, Hannibalémque dirum. *Nunc ego*] Concluſio eſt confirmationis proximæ: Quare Bucolicum carmen canam.

Nanque] Illuſtratio intexitur è diſsimili: alij bellicas tuas laudes canent: Quintilius autem Varus in Germania exercitus dux fuit, & cum ea tandem à Germanis cæſus: De quo Suetonius viceſimo quinto capite, in Auguſto, Graues, ait, ignominias cladéſque omnino duas nec alibi quàm in Germania accepit Lolianam & Varianã: ſed Lolianam maioris infamiæ quàm detrimenti, Varianam penè exitialem tribus legionibus cum duce legatíſque & auxiliis omnibus cæſis. Hac nuntiata excubias per vrbem indixit, ne quis tumultus exiſteret, & præſidibus prouinciarum prorogauit imperium, vt & à peritis & aſſuetis ſocij continerentur: vouit & magnos ludos Ioui optimo maximo, ſi Rempublicam in meliorem ſtatum vertiſſet. Quod factũ Cimbrico Marſicóque bello erat, adeo nanque conſternatum ferunt, vt per continuos mẽſes barba capillóque ſummiſſo caput interdum foribus illideret, vociferans, Quintili Vare, legiones redde: diémque cladis quotannis mœſtum habuerit, ac lugubrem. Hæc ad verbum Suetonius. Alius etiam Varus fuit amicus Virgilio & ecloga nona celebratus, qui ſuperſtes Virgilio fuit, & eius opera correxit. *Arundine*] Tales iam metonymiæ fuerunt, auena, calamus, ſtipula, cicuta. *Non iniuſſa cano*] Alia confirmatio eſt Bucolici carminis ex authoritate vel Pollionis

vel

vel Auguſti,vel Mecœnatis , vt Seruius ait. *Si quis*] hîc præcipua propoſitionis ſignificatio eſt , adiunctis confirmata,quòd Vari laus ſit doctis gratiſsima.

Myricæ] Sic antea,

Non omnes arbuſta iuuant humilêſque myricæ.

Et poſtea decima ecloga,

Illum etiam lauri,illum etiam fleuêre myricæ.

Nemus] τὸ νέμος græcum eſt , & propriè dicitur ſylua voluptatis cauſſa comparata. *Phæbo*] Metonymia pro doctis. *Præſcripſit*] id eſt inſcripſit & propriè dicitur. Sic Cicero Agraria ſecunda: A quibus ei locus primus inuidiæ in præſcriptione legis conceſſus eſt. *Pergite*] Inuocatio eſt, qualis antea fuit:Sicelides muſæ. de Pieridibus,ecloga tertia dictum eſt ad illum locum,Pierides vitulam. *Chromis*] Narratio eſt ad carminis futuri decorum ex Epicurei cantoris adiunctis , ſomno , vino. Virgilius autem Epicuream ſectam Silone doctore didicerat,vt Donatus authot eſt in Virgilij vita:& hîc Seruius,& fortaſſe eius cõdiſcipulus Varius fuerat, vt ideo carmen Epicureum Epicureo nuncupet. Chromis nomen paſtoris Libici Idyllio primo : Hîc verò Chromis & Mnaſylus adoleſcentes finguntur. *Iaccho*] ἰακχὸς, Iacchus Bacchus, & hymnus in eundem (ait Feſtus) ſic etiam dicitur vox diuina Bacchum celebrantium παρὰ τὴν ἰαχὴν additione κ : ἰαχὴ verò eſt clamor , gemitus, rugitus,ἰαχέω clamo, loquor. *Serta*) Ebrietatis circunſtantias latiùs perſequitur : vt Sileni corona & cantharus iaceant , vt Silenus ipſe ligari ſe non ſentiat. Serta autem coronæ floribus contextæ ſunt, ſtrophia & ſeruiæ corollæ,corollaria Plinio libri viceſimi primi capite ſecundo dicuntur. Tenuioribus (ait de floribus) vtebantur : antiqui ſtrophia appellantes , vnde nata ſtrophiola : quin & vocabulum ipſum tardè communicatum eſt inter ſacra tantùm & bellicos honores coronis ſuum nomen uindicantibus. Cùm verò è floribus fierent ſerta , à ſerendo ſeruiæ appellantur : & ibidem, Paulatímque & Romæ ſubrepſit appellatio corollæ in-

ter initia propter gracilitatem nominantis, mox & corollariis,poſtquam & lamina ærea tenui inaurata & inargentata dabantur.Cicero tertia Tuſculana: Incendes odores,& ſertis redimiri iubebis & roſa. *Cantharus*] Liberi patris poculum fuit,vt Plinius libri triceſimi tertij capite vndecimo,vbi ſcribit Marium poſt victoriam Cimbricam cantharis potaſſe Liberi patris exemplo. *Ambos*] Chariſius ambo legit. *Ex vincula*] Anaſtrophe eſt, vt

Tranſtra per & remos.

Addit] Additur ad Epicureæ voluptatis expletionem puella,à qua ſe pingi Silenus patiatur. *AEgle AEgle*] In fine ſuperioris & principio ſequentis ſententiæ,eſt anadiploſis. Fuit autem AEgle filia Solis & Neæræ.

Naiadum] de quibus ecloga ſecunda dictum eſt ad illum locum,

-Tibi candida Nais.

Sanguineis] pro rubris, Metaphora talis eſt ecloga decima,

Pan deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipſi
Sanguineis ebuli baccis minióque rubentem.

Ille dolum] Excitatur Silenus & optatum carmen pollicetur, vbi & Proſopopœia eſt Sileni. *Videri*] Quia ſemidei tantùm videntur quum volunt:aut quia in hac ebrietate deprehenſus eſt. *Carmina carmina*] Anaphora. *Mercedis*] ioculatoria Veneris eſt ſignificatio.

Tum verò] Declaratur hyperbolicis adiunctis excellentia carminis,quo dij,beſtiæ, res etiam inanimatæ ad ſaltationem excitarentur. *Faunóſque*] Latinis fauni ſunt iidem qui græcis Satyri. *Motare*] Id autem quinta ecloga verbum fuit:

Siue ſub incertas Zephyris motantibus vmbras.

Cacumina] Extremos ramos, qui ſunt arboribus pedúm loco, cùm radices pro capite ſint.

Nec tantùm] Declaratur idem collatione minorum. Parnaſſus autem mons eſt Theſſaliæ Apollini cõſecratus,vt Rhodope & Iſmarus mõtes ſunt Thraciæ,in quibus

bus Orpheus cantare ſolitus eſt, de quibus iterum erit ecloga octaua,

Nunc ſcio quid ſit amor: duris in cotibus illum
Iſmarus aut Rhodope-

Nanque] Subiectum carminis argumentum declaratur phyſicis Epicuri, qui atomis & corpuſculis omnia cõponebat: quod ante eum Democritus & Leucippus cenſuerant: qua de re multa Ariſtoteles primo Phyſicæ auſcultationis, & primo ſecundóque de Generatione: Item primo Philoſophiæ: & Cicero primo de Finibus, & in Fato. *Terrarúmque*] Declaratur origo mundi per ipſius partes, elementa, meteora, arbores, pecudes, homines. *Semina*] Significat atomos Epicureas, quarum concurſione Epicurus omnia gignebat: Illis enim triplicem motum tribuebat, ponderis, recta deorſum linea, declinationis, cùm atomi è regione minimùm declinarẽt, plagæ cùm alia aliam pelleret: de quo nos in Fatum Ciceronis. *Animæque*] id eſt aëris. ſic Varro primo de re Ruſtica ex Ennio: aqua, terra, anima, Sol. Cicero primo de Oratore: Deinde cùm ſpiritus eius eſſet anguſtior, tantum continenda anima eſt aſſecutus, vt vna cõtinuatione verborum, &c. *Liquidi*] puri, vt poſtea,

Liquidúmque per aëra lapſæ- ſexto AEneidos.

Tener] Plinius lib. 2. cap. 3. videtur hoc epitheton interpretari, cùm de motu mundi loquitur: Eſſe innumeras ei effigies animalium rerúmque cunctarum impreſſas, nec (vt in volucrum notamus ouis) lenitate continua lubricum corpus: quod clariſsimi authores dixêre tenerũ argumentis indicatur. *Nerea.*] Nereus Oceani & Tethyos filius, deus maris: Metonymia igitur eſt.

Ponto] Pontus Nerei filius: & hic Metonymia ſimilis eſt. *Formas*] Formas rerum Democritus putauit fieri ῥυσμῷ, διαθιγῇ, τροπῇ figura, ordine, ſitu, vt Ariſtoteles propoſitis antè locis ait. *Hinc lapides*] Pyrrha Deucalionis vxor, qui poſt diluuium dicuntur à poëtis hominum genus reparaſſe, lapidibus poſt tergum iactis: de quo Iuuenalis decimanona Satyra:

Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor
Nauigio montem aſcendit,ſortéſque popoſcit,
Paulatimque anima caluerunt mollia ſaxa,
Et maribus nudas oſtendit Pyrrha puellas.

Caucaſeáſque] Caucaſus mons ſupra Iberiam & Albaniam: vbi Prometheus per Mercurium imperio deorũ alligatus, à vulture exeditur,quia Solis ignem auxilio Mineruæ furatus eſſet: Seruius fabulam refert ad inuẽtionem Aſtrologiæ,& fulminum obſeruationem.Plato in Philebo refert ad inuentionem logicæ.

Promethei] Triſſyllabũ, & contractum pro quadriſyllabo Promethĕi. *Hylam*] Adhuc Epicurea Philoſophia, deinceps ſecundum carmen ſequitur de Hyla puero Herculis, in fonte ſubmerſo, vnde nomen eius dum illi fieret,in fontibus inclamari ſolitũ:ὑλάω vel ὑλακτέω clamo, reſono. Fabula integra decimotertio Idyllio apud Theocritum tractatur,quæ breuiter hîc attingitur. *Hyla Hyla*] Epizeuxis, vt antè vale vale, & in ſecundo (Hyla) ſyllaba vltima corripitur, quanuis natura longa ſit: vt in Aenea & Græcis ſimilibus, quia vocalis ſequitur (ait Seruius:) Quæ ratio ſi vera eſt, vera etiam debuit eſſe in illo vale vale. *Et fortunatam*]Tertium carmen de taurino Paſiphaës amore,quam primò ſolatur, deinde miſeratur, Paſiphaë vxor Minois Cretenſium regis fuit;quæ Dædali artificio dicitur tauro ſuppoſita eſſe: at hunc taurum Palæphatus ait ſcribam Minois fuiſſe, & ex homonymia nominis, occaſionem fabulæ datam eſſe:De fabula,Virgilius ſexto AEneidos,

Hîc crudeles amor tauri ſuppoſtáque furto
Paſiphaë,miſtúmque genus,proléſque biformis,
Minotaurus ineſt Veneris monimenta nefandæ.

Niuei] Metaphora eſt pro, candidi. *Iuuenci*] Taurum dicit,in cuius amorem Paſiphaë exarſit. *Ah*] Commiſeratio deinceps eſt ex diſsimilitudine: Prœtides quanuis ſe vaccas putarent,tamen tauros non amarunt. *Ah*] ſic ecloga ſecunda,

Ah corydon corydon quæ te dementia cœpit.

Prœtides]

Prœtides] Prœtus rex Argiuorum, cuius filiæ cùm ſe Iunoni forma æquipararent, diuina phreneſi ſic affectę ſunt, vt ſe vaccas putarent, & in ſyluis mugirẽt: tandem à Melampo medico curatæ ſunt. *Ah*] Anaphora, qua repetitur ſuperius hemiſtichium: & hîc commiſerationis argumentum ſecundum eſt, èx adiunctis laboribus in perſequendo tauro errabundo. *Ilice*] Ilex, arbor quercui proxima. *Ruminat*] Rumen pars eſt gutturis ſub mento, qua cibus in aluum demittitur: hinc ruminare, ad rumen reuocare, id eſt, remandere. *Claudite*] Proſopopœia eſt Paſiphaës taurum capere cupientis, & ob id nymphas ſic alloquentis. *Dictææ*] Dicte eſt mons Cretæ, vbi Iupiter educatus eſſe dicitur,

Dictæo cœli regem pauere ſub antro,

quarto Georgico. *Saltus*] Saltus denſior ſylua & inuia, quòd ibi arbores ſaliant, & ibi paſci atque æſtiuare pecudes ſoleant, vt ait Valla libro quarto: quod hic locus videtur indicare, & qui rurſus eſt ecloga decima,

-Parthenios canibus circundare ſaltus.

Sunt contrà qui ſaltus putent loca arboribus expedita, vbi facilè ſaltetur, quod tertio Georgico videtur approbari,

Saltibus in vacuis paſcant-

vtrunque tamen cõiungi poteſt: & ex Caij AElij ſẽtẽtia Sextus Pomponius ait eſſe, vbi ſyluæ & paſtiones ſunt. *Si quâ*] Si, aduerbium eſt aliquando rogantis, & optantis per ſe plenum, ait Seruius, ſexto AEneidos, ad illum locum,

Si nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus
Oſtendat nemore in tanto-

quaſi (ſi) pro (vtinã) ponatur: ego reticentiam quandã hîc maluerim, tanquam intelligatur: ô me fœlicem, ô me fortunatũ, ſi id acciderit: quomodo eſt 8. AEneidos,

O mihi præteritos referat ſi Iuppiter annos,

et aliis prætereà locis quibuſdam, vbi vel, ô, vel (ſi) vacare non arbitror, vt Seruius, ſed imperfectum ſenſum ſic expleo: qua reticentiæ figura potes ſic intelligere, ô

me fortunatam. *Gortynia*] Gortynia oppidum Cretæ non longè à Gnoſo. *Tum canit*] Quartum carmen de Atalanta filia Cænei regis, in Scyro maris AEgei inſula curſu victa per Hippomenē Neptuni nepotē, dū currēti mala aurea obiicit:de qua fabula Ouidius libro decimo Metamórphoſεων: fabula hæc etiam Idyllio tertio,

Ἱππομένης ὅκα δὴ τὰν παρθένον ἤθελε γᾶμαι,
μᾶλ᾽ ἐν χερσὶν ἑλὼν, δρόμον ἄνυεν· ἁ δ᾽ Ἀταλάντα,
ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλλετ᾽ ἔρωτα.
Hippomenes quãdo iam virginem voluit ducere vxorem,
Poma in manibus capiens, curſum perfecit: Atalanta autē
Vt vidit valde furiata eſt, valde in profundum ſaltauit
amorem.

Heſperidum] Atlanti ſpecioſiſſimum in AEthiopia pomariū fuit, quod Heſperides Heſperi fratris filiæ AEgle, Harethuſa, Sperethuſa, cum dracone peruigili cuſtodiebāt. Id verò fuit in æſtuario Lixi oppidi in Mauritania, vt Plinius libri deciminoni capite quarto ait: aut authore Theomene iuxta magnam Syrtim, vt idem ait libri triceſimi ſeptimi capite 2. *Tum Phaëthontiadas*] Quintum carmen de Phaëthontis ſororibus, Phaëthuſa, Lampetia, Lampethuſa conuerſis in alnos, vt Apollonium & græcos ſecutus, hic ait; vel in populos, vt ipſe decimo AEneidos ait:

Nanque ferunt luctu Cygnam Phaëthontis amati
Populeas inter frondes vmbrámque ſororum
Dum canit-

circundat] id eſt circundatas canit, hypallage eſt. *Tum Tum*] Anaphora eſt. *Amaræ corticis*] Maſculino genere ſępius: quomodo & Virgilius ipſe 7. AEneidos,

-Raptus de ſubere cortex.

Tum canit] Sextum carmen in laudem Galli. Cornelius autem Gallus Foroliuienſis orator clarus & poëta fuit: vt de ſe ipſe teſtis eſt in elegiis, quæ ſolæ ex eius operibus ſuperſunt: vrbem grammatici nominant, ipſe tantùm patriam,

Hic me ſuſcipiens Hetruſcæ gentis alumum.

Quod

Quod autem orator fuerit, & poëta,ſic ait,

Dum iuuenile decus,dum mens ſenſúſque manebat,
Orator toto clarus in orbe fui.
Sæpe poëtarum mendacia dulcia finxi,
Et veros titulos res mihi ficta dedit.
Sæpe perorata percepi lite coronam,
Et data ſunt linguæ præmia digna meæ.

Euphorionem poëtam latinè reddidit, & Cytherida Publij Volumnij libertam amauit, eámque ficto Lycoridis nomine celebrauit: vt Clodiam Catulus, Plautiam Tibullus, Hoſtiam Propertius, Iuliam Ouidius fictis nominibus Lesbiæ, Deliæ, Cynthiæ, Corinnæ celebrarunt. Gallo ſpreto tandem Marcum Antonium ſecuta eſt, vt Seruius author eſt. Gallus certè dilectam ſibi, & ab ea ſe ſpretum profitetur:

En dilecta mihi nimium formoſa Lycoris
Cum qua mens eadem,res fuit vna mihi:
Poſt multos,quibus indiuiſi viximus annos,
Reſpuit amplexus heu ſtupefacta meos:
Iámque alios iuuenes,alióſque requirit amores,
Me vocat imbellem decrepitúmque ſenem.

Fuit autem præter illa ingenij dona Gallus corpore formoſus & robuſtus, venator, iaculator, luctator, curſor egregius, patiens caloris, algoris, vigiliæ, inediæ, vt in reliquis elegiis ipſe de ſe ait: potator item egregius, vt teſtis eſt etiam ipſe,

Ceſſit & ipſe pater Bacchus,*ſtupuitque bibentem,*
Et quicunque ſolet vincere,victus abit.

Itaque his dotibus Octauio, licet ex infima familia, tamen facilè conciliatus, ad AEgypti prçturam euectus eſt, vt Suetonius in Octauio ait capite ſexageſimoſexto: & id videtur Gallus ipſe ſentire,

Miſſus ad eos legati munere functus,
Tranquillum cunctis nectere pacis opus.

Vbi & pluribus verſibus grçcam puellam ſibi adamatam deſcribit: in ea verò prætura inſolentiùs ſe geſſit: nam præterquam quòd ſtatuas ſibi poni, & nomen ſuũ

pyramidibus inſcribi iuſſit, vt Dion & Strabo teſtantur, inter pocula etiam quædam in Auguſtum euomuit, vt Ouidius teſtatur ſecundo Triſtium,

Non fuit opprobrio celebraſſe Lycorida Gallo:
Sed linguam nimio non tenuiſſe mero.

Itaque vt Suetonius ibidem ait, Velut res nouas molientem, Octauius Senatui damnandum tradidit, eo & accuſatorum denunciationibus, & Senatuſconſultis ad necem compulſo: laudauit quidem pietatem tantopere pro ſe indignatum, cæterùm & illachrymauit, & vicem ſuam conqueſtus eſt, quòd ſibi ſoli non liceret amicis, quatenus vellet, iraſci: hæc Suetonius. Ipſe autem ſibi mortem conſciuit, vt Strabo, Dion, Marcellinus aiunt: & Ouidius his aſtipulatur tertio amorũ elegia octaua,

Te quoque, ſi falſum eſt temerati crimen amici
Sanguinis atque animæ prodige Galle tuæ.

Obiiſſe verò iam ſenem elegiæ reliquæ abundè teſtantur: Crinitus ait anno ætatis ſexageſimo tertio. Sed enim viuum Virgilius ſic amauit, vt non ſolùm in hac ecloga laudarit, ſed eclogas in eius laudes concluſerit, & quarti Georgici medio ad finem vſque Gallum tantùm celebrarit: Quem totum locum poſtea, iubente Auguſto, in Ariſtæi fabulam commutauit. Ergo hic eſt Cornelius Gallus, quem tam inſigni poëticę laude Virgilius modò celebrat: tametſi Quintilianus, libri decimi capite primo duriorem Gallum in elegia putat fuiſſe: Sed tamẽ ſeu veritate ſeu amore & gratia per eũ recepti patrimonii ductus Virgilius, valde magnum poëtam hîc efficit, & ex variis adiunctis hanc laudem contexit. *Permeſſi*] Helicon & Cytheron, mõtes ſunt Bœotiæ ſeu Aoniæ, vnde Permeſſus & alii fluuii labuntur. Per Phœbum autem & muſas ſignificat doctos, & metonymia eſt. *Et Linus*] Continuatur eadem laus è ficto Lini teſtimonio, & de collatione Heſiodi tanquam ſimilis. *Linus*] de hoc, ecloga quarta,

-Lino formoſus Apollo.

Apio] Honos ipſi in Achaia fuit coronare victores ſa-

cri

cri certaminis Nemeæ, Plinius libri deciminoni capite octauo. *Hos tibi*] Proſopopœia muſarum.

Calamos] Metonymia pro muſica ſeu poëtica, quæ calamis cantatur. *Aſcræo*] Aſcra, vicus Bœotiæ patria Heſiodi. alii tamen affirmant Heſiodum Cumæum fuiſſe, ſed à muſis in Aſcra amatum & poëtam factum.

Ecce deas vidi, non quas præceptor arandi
Viderat, Aſcræas cùm ſequeretur oues,

ait Ouidius ſexto Faſtorum: cuius mentio eſt Idyllio decimonono,

Ἄσκρη μὲν γοάασκε πολὺ πλέον Ἡσιόδοιο.
Aſcra quidem luxit multò plus Heſiodo.

Rigidas] Sic paulò antè,

Tum rigidas motare cacumina quercus.

Ornos] Orni, ſylueſtres ſunt fraxini, paulò latioribus tamen foliis, quàm cęteræ fraxini, nec deteriorem frondem quàm vlmi præſtant, ait Columella libri primi de arboribus capite decimoſexto. gallicum nomen nō habet, ait Ruellius: montibus, autē poëta dixit, ſolum ornis genitale ſignificans, de quo ſecundo Georgico ſic:

Naſcuntur ſteriles ſaxoſis montibus orni.

His tibi] Optatio eſt ad huius laudis concluſionem. Gallus dicitur ortus à Grynæo monte Apollinis, vt propterea Apollo maximè diligat: Grynia vrbs AEtoliæ, hinc mons Grynæus ibi ſacer Apollini. *Quid loquar*] Septimum carmen de Scylla & Nyſi filia, & quæ Vlyſſis naues afflixit. Sic enim in quibuſdā codicibus legitur: *aut Scyllam Niſi aut quam fama* &c. Qua lectione defendetur Virgilius contra Seruium, quòd aliam Scyllam propoſuerit, aliam tractauerit. *Niſi*] Athenienſes & Megarenſes Androgeon Minoisfilium dolo necauerunt: ad hanc vltionē cū Minos victis iam Athenienſibus Megarenſes obſideret, & rex eorum Niſus tandiu regnaturus eſſet. quandiu purpuream comam habuiſſet, Scylla eius filia, Minois amore capta, fatalem illam comam patri abſciſſam, Minoi obtulit. Poſtea tamen Scylla contempta, & Niſus extinctus, in aues ſui no-

minis cõuerſi ſunt. Niſus eſt Halieçtus, qui falco noſter nonnullis eſt: Scylla autem eſt alauda, de quibus primo Georgico circa finem, & in Ciri Maronis opuſculo, hac de re conſcripto. Scylla autem altera Phorci filia fuit à Glauco amata, ſed Circes, quæ ſe ſpretã dolebat, veneficiis mutata eſt in illud mõſtrum, quod AEneidos tertio deſcribitur:

At Scyllam cæcis cohibet ſpelunca latebris
Ora exertantem & naueis in ſaxa trahentem:
Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
Pube tenus: poſtrema immani corpore piſtrix,
Delphinum caudas, vtero commiſſa luporum.

Dulichias] Dulichium inſula eſt, in qua Itacus mons eſt, Vlyſſis patria: Itaque Dulichias rates pro nauibus Vlyſſis ait, per metonymiam. *Vexaſſe*] Anneus Cornutus & Seruius Virgilium hîc reprehẽdunt, velut humiliore verbo vſum, & Tapinoſim notãt: at vterque vehemẽter errat: Nam qui fertur & rapitur, atque huc & illuc diſtrahitur, propriè vexari dicitur: & verbis vexare & lacerare, quibus Virgilius hîc vtitur, Cato in oratione pro Achæis dixerat: Cúmque Annibal terrã Italiam laceraret & vexaret: Vexatã Italiã dixit Cato ab Annibale, quoniã nullum calamitatis & ſæuitiæ genus reperiri queat, quod eo tempore Italia non perpeſſa ſit. Gellius libri ſecundi capite ſexto: Et Cicero in Verrem cũ ait de Sicilia, Quæ ab illo ſpoliata & direpta eſt, vt non ab hoſte aliquo, qui tamen in bello & religionis & cõſuetudinis iura retineat, ſed à barbaris prædonibus vexata eſſe videatur: In quẽ locum Aſconius ait, hoc verbo, vexata, ingentis calamitatis vſum ſignificari. Quare patet iam magnis exemplis & Cornutũ & Seruium valde hîc lapſos eſſe. *Aut vt*] Octauum carmẽ de Tereo, qui Prognem Pandionis Athenienſium regis filiam vxorem habuit, & tamen Philomelam eiusſororẽ violauit: ac ne facinus indicaret, ei linguam amputauit: at illa rem in veſte, ſuo cruore deſcripſit. Quare Progne indignata Itym filiũ interemit, & Tereo appoſuit epulandum:

landū: omnes ſunt poſtea in aues ſui nominis conuerſi: Tereũs in vpupam, Itys in phaſianum, Progne in hirūdinem, Philomela in luſciniā: de quibus Ouidius Metamorphoſeos libro ſexto. *Quas,quæ,quo, quibus*] Polyptoton. *Omnia*] Collatione parium concluditur inductio tam multorum carminum: Denique omnia carmina cantauit, quæ Phœbus nouerat. *Eurotas*] Fluuius Spartæ tauris refertus Apollini dicatis. Sic enim fuit ecloga tertia.

-Phœbo ſua ſemper apud me
Munera ſunt lauri.

et circa finem ſequentis,

-Sua laurea Phœbo:

Et aureus ramus in vita Virgilij dictus iam eſt. Itaque laurus μαντικὸν φυτὸν, fatidica plāta dicitur, & eam Heſiodo muſæ guſtandam tradiderunt: quia qui eam māderent, vates fierēt. Sic apud Lycophronem vates dicitur Δαφνηφάγος. Euſtathius in græco δάφνη etymologiā ſtatuit à διὰ intentionis particula & φνή quaſi φωνή.

Ad ſydera] Talis iam metaphora fuit,

-Hinc vſque ad ſydera notus.

Item, *Ipſi lætitia voces ad ſydera iactant*
Intonſi montes.

Numerúmque referre] Sic ecloga tertia.

Bíſque die numerant ambo pecus, alter & hœdos.

Et inuito] Concluditur voluptas tanti carminis, mœſtitia diſcedentis olympi, & gaudio venientis Heſperi.

ECLOGA SEPTIMA.

Melibœus.

Corydon. Thyrſis.

Fortè ſub arguta conſederat ilice Daphnis, ME.
Cōpulerántque greges Corydō, & Thyrſis in vnū
Thyrſis oues, Corydon diſtentas lacte capellas:

Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, & reſpondere parati.
Hîc mihi, dum teneras defendo à frigore myrtos
Vir gregis ipſe caper deerrauerat: atque ego Daphnim
Aſpicio: ille vbi me contrà videt, Ocyùs, inquit,
Huc ades ô Melibœe, caper tibi ſaluus, & hœdi:
Et ſi quid ceſſare potes, requieſce ſub vmbra.
Huc ipſi potum venient per prata iuuenci:
Hîc viridis tenera prætexit arundine ripas
Mincius, éque ſacra reſonant examina quercu.
Quid facerē? neque ego Alcippē, nec Phyllida habebā,
Depulſos à lacte domi quæ clauderet agnos.
Et certamē erat Corydon cum Thyrſide, magnum:
Poſthabui tamen illorum mea ſeria ludo.
Alternis igitur contendere verſibus ambo
Cœpēre: alternos muſæ meminiſſe volebant.
Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrſis.
CO. *Nymphæ noſter amor, Lybethrides, aut mihi carmen*
Quale meo Codro, concedite (proxima Phœbi
Verſibus ille facit) aut ſi non poſſumus omnes,
Hîc arguta ſacra pendebit fiſtula pinu.
TH. *Paſtores hedera creſcentem ornate Poëtam*
Arcades, inuidia rumpantur vt ilia Codro.
Aut ſi vltra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.
CO. *Setoſi caput hoc apri tibi Delia paruus,*
Et ramoſa Mycon viuacis cornua cerui.
Si proprium hoc fuerit, leui de marmore tota
Puniceo ſtabis, ſuras euincta cothurno.
TH. *Sinum lactis, & hæc te liba Priape quotānis*

Expectare

Expectare ſat eſt: cuſtos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fœtura gregem ſuppleuerit, aureus eſto.
Nerine Galatea thymo mihi dulcior Hyblæ,
Candidior cygnis, hedera formoſior alba, CO.
Cùm primùm paſti repetent præſepia tauri,
Si qua tui Corydonis habet te cura, venito.
Imò ego Sardois videar tibi amarior herbis, TH.
Horridior ruſco, proiecta vilior alga,
Si mihi non hæc lux toto iam longior anno eſt.
Ite domum paſti, ſi quis pudor, ite iuuenci.
Muſcoſi fontes, & ſomno mollior herba, CO.
Et quæ vos rara viridis tegit arbutus vmbra,
Solſtitium pecori defendite: iam venit æſtas
Torrida, iam læto turgent in palmite gemmæ.
Hîc focus, & tædæ pingues, hîc plurimus ignis TH.
Semper & aſsidua poſtes fuligine nigri,
Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.
Stant & iuniperi, & caſtaneæ hirſutæ: CO.
Strata iacent paſsim ſua quæque ſub arbore poma:
Omnia nunc rident: at ſi formoſus Alexis
Montibus his abeat, videas & flumina ſicca.
Aret ager, vitio moriens ſitit aëris herba: TH.
Liber pampineas inuidit collibus vmbras:
Phyllidis aduentu noſtræ nemus omne virebit:
Iuppiter & læto deſcendet plurimus imbri.
Populus Alcidæ gratiſsima, vitis Iaccho, CO.
Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo.
Phyllis amat corylos: illas dum Phyllis amabit,

Nec myrtus vincet corylos, nec laurea Phœbi.

TH. *Fraxinus in ſyluis pulcherrima, pinus in hortis,*
Populus in fluuiis, abies in montibus altis.
Sæpius at ſi me Lycida formoſe reuiſas,
Fraxinus in ſyluis cedet tibi, pinus in hortis.

ME. *Hæc memini, & victum fruſtra contendere Thyrſim:*
Ex illo Corydon, Corydon eſt tempore nobis.

IN SEPTIMAM ECLOGAM.

Tertia & quinta ecloga muſicum certamen habuerunt, quale rurſus habet ſeptima: viginti primis verſibus exordium eius & præparatio continetur in deſcriptione paſtorum concertantium, & loci vbi certamen editur: Imitatio eſt ſexti Idyllij Theocriti: ſed aliquot prætereà loci aliunde ſumuntur. *Arguta*] canora, ſtridula propter auium in ea ſedentium concentus, aut propter ſuſurrum & ſibilum è ſtrepitu agitatorum foliorum. Quod Auſonius poëta cecinit,

Eſt & arundinis modulatio muſica ripis,
Atque arguta ſuis loquitur coma pinea ventis,
Incubuit foliis quoties lenis Eurus acutis.

Ilice] Idyllio ſeptimo,

τὺ δ' ὑπὸ δρυσὶν, ἢ ὑπὸ πεύκαις,
ἁδὺ μελισδόμενος κατακέκλισο θεῖε Κομάτα.
Tu autem ſub quercubus, vel ſub piceis
Suauiter modulans reclinatus eras diuine Comata.

Compulerántque] Locus eſt è ſexto Idyllio,

Δαμοίτας καὶ Δάφνις ὁ βωκόλος εἰς ἕνα χῶρον
τὰν ἀγέλαν πόκ' Ἄρατε συνάγαγον.
Damœtas & Daphnis bubulcus in vnum locum
Gregem quondam Arate, congregarunt.

Thyrſis] nomen paſtoris in primo Idyllio. *Ambo*] Locus eſt

cus eſt ex octauo Idyllio,

ἄμφω τώγ᾽ ἤτην πυῤῥοτρίχω, ἄμφω ἀνάβω,
ἄμφω συρίσδεν δεδαημένω, ἄμφω ἀείδεν.
Ambo erant flauicomi, ambo impubes.
Ambo hi fiſtula canere ſcientes, ambo cantare.

Locus eſt iterum conſimilis Idyllio viceſimo ſeptimo de Caſtore & Polluce,

ὦ ἄμφω θνατοῖσι βοηθόοι, ὦ φίλοι, ἄμφω
ἱππῆες, κιθαρισταὶ, ἀεθλητῆρες, ἀοιδοί.
O ambo mortalibus auxiliatores, ô amici, ambo
Equites, cithariſtæ, pugnatores, cantores.

Arcades] Arcadia licet alioqui rudis, attamen muſicã præſtitit. *Hic mihi*] Exponitur occaſio carminis audiẽdi ex variis adiunctis perſonarum otioſarum: deinde locus multis adiunctis amœnus deſcribitur.

Vir gregis] Idyllio octauo,

ὦ τράγε, τᾶν λευκᾶν αἰγᾶν ἄνερ.
O hirce, albarum caprarum vir.

Caper autem pro hirco dicitur, vt ſecundo Georgico:

Nõ aliã ob cauſſam Baccho caper omnibus aris cæditur.

Prætexit] Talis iam à textoribus metaphora locis duobus fuit,

-mollíque paras detexere iunco, ſecunda eclogæ: Item, *Et foliis lentas intexere mollibus haſtas,* fuit eclogæ quinta. *Mincius*] ſic tertio Georgico,

Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens vbi flexibus errat
Mincius, & tenera prætexit arundine ripas.

Examina] Locus eſt dictus prima ecloga, ad illum locũ,

Sæpe leui ſomnum ſuadebit inire ſuſurro.

Quid facerẽ] Addubitatio eſt hæſitantis Melibœi, cuius partes ex adiunctis diſputantur. *Alcippem*] nomen eſt ex Idyllio quinto. *Depulſos*] Sic antea idem verbum prima ecloga,

-quò ſæpe ſolemus
Paſtores, ouium teneros depellere fœtus.

Item tertia,

Dulce ſatis humor, depulſis arbutus hœdis.

Corydon] Figuratum eſt pro Corydoni. *Poſthabui*] Cōcluſio addubitationis. *Alternis*] Declaratur apertiùs lex amœbæi carminis: ex coniugatis ratio eſt, ſicut anteà fuit ecloga tertia,

Alternis dicetis, amant alterna Camœnæ.

Fuerunt autem ecloga tertia bini verſus alterni, quinta fuerunt viceniquini, hîc ſunt quaterni. *Hos*] Sic ecloga tertia deſcriptus ordo,

Incipe Damœta, tu deinde ſequêre Menalca.

Nymphæ] Inuocatio eſt, qua optatur arroganter poëtica ſimilis Phœbeæ, aut eius abiicietur ſtudium: Nymphas autē, muſas hîc appellat: & Varro triplices muſas facit è ſono aquæ, aëris, vocis: at quod veteribus græcis fuit nympha, id latinis eſt lympha, literæ vnius mutatione, quòd aqua currendo muſicos ſonos efficiat: Vnde fuit illud ecloga quinta,

Saxoſas inter decurrunt flumina valles.

Lybethrides] Lybethrus fons Magneſiæ, muſis ſacer.

Codro] Paſtoris cuiuſdam egregiè cantantis nomen hîc fingitur. *Proxima*] Simile eſt, *Quale meo Codro:* & item nunc, *proxima Phœbi-Verſibus ille facit.*

Pendebit] Emeriti ſuæ profeſſionis arma deo ſuo ſuſpēdebant: puellæ ſuas puppas Veneri:

Dicite pontifices, in templo quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine puppæ,

ait Perſius. Item

-Veianius armis
Herculis ad poſtem fixis latet abditus agro,

ait Epiſtola prima Horatius: & idem tertio Carminum ode viceſima ſexta,

Nunc arma, defunctúmque bello
Barbiton hic paries habebit.

Sic Entellus victor & ſenex quinto AEneidos:

-Hic victor cæſtus artémque repono.

Sic Corydon iactat ſe fiſtulam ſuſpēſurum, & muſicam abiecturū, niſi carmina, Phœbi carminibus ſimilia can-

tauerit. *Sacra*] Cybelæ magnæ matri deorũ, vt de quercu fuit paulo antè,

-éque ſacra reſonant examina quercu.

Sacra verò pinus Cybelæ matri propter amaſium Atym in eam mutatum, vt libro decimo Metamorphoſεωn,

Et ſuccincta comas hirſutáque vertice pinus
Grata deûm matri, ſi quid Cybeleïus Atys
Exuit hac hominem truncóque induruit illo.

Paſtores] Arrogantioris optationis diſiunctio reponitur: Coronate me poëtam, vt Codrus dirumpatur: aut ſi me inuitus laudet, defendite à maledicentia.

Hedera] Hedera poëtæ coronantur, quaſi Libero ſacri, & inſtar bacchantium inſani, vt Horatius innuit,

-vt malè ſanos
Aſcribit Liber Satyris, Faunîſque poëtas.

vel quòd ſemper virent hederæ, & ſic carmina æternitatem merentur, ait Seruius.

-atque hanc ſine tempora circum
Inter victrices hederam tibi ſerpere lauros.

Rumpantur] Dirumpantur, quomodo Cicero loquitur duodecimo epiſtolarum ad Caſſium: Infinito fratris tui plauſu dirumpitur. Item ſeptimo ad Marium: Dirupi me penè in iudicio Galli. *Ilia*] Ile & Ilia & Ilium Ilibus declinatur, nec Marullus mimographus ſequẽdus eſt, qui riſui inſeruiens, dixit in guloſum, Hectorem imitaris, ab Ilio nunquam recedis. Ilia autem ſunt inter veſicam & aluum arteriæ ad pubem tendentes, ait Plinius libri vndecimi capite triceſimoſeptimo. *Baccare*] Fuit anteà quarta ecloga,

Errantes hederas paßim cum baccare tellus.

Baccar autem auxiliatur contra ſerpentes & capitis dolores, ait Plinius libri viceſimi primi capite decimonono: & vt Virgilius hîc indicat, contra faſcinum.

Setoſi] adoptati carminis votum, offert Dianæ Apollinis ſorori venatoria munera ſuis adiunctis commendata, & maiora pollicetur. *Delia*] dea venationis, de qua, ecloga tertia.

Notior vt non ſit canibus iam Delia noſtris.

Ramoſa] Cerui ſoli animalium omnibus annis ſtatq veris tempore amittunt cornua: indicia quoque ætatis in illis gerunt, ſingulis annis adiiciẽtibus ramos, vſque ad ſexennes: ab eo tempore ſimilia exiſtũt: nec poteſt ætas diſcerni, ſed dentibus ſenecta declaratur: aut enim paucos aut nullos habent: nec in cornibus imis ramos. Non decidunt caſtratis cornua, nec naſcuntur. Ramoſa porro cornua grandis cerui eſſe indicat, vt primo AEneidos,

Ductoréſque ipſos primum capita alta gerentes
Cornibus arboreis.

Viuacis] Vita ceruis in confeſſo longa, poſt centũ annos aliquibus captis cum torquibus aureis, quos Alexãder Magnus addiderat, adopertis iam cute in magna obeſitate, Plinius libri octaui capite triceſimo ſecundo, & Virgilius in Epigrammatis, hac de re ſic ait:

Ter binos deciéſque nouem ſuperexit in annos
Iuſta ſeneſcentum quos implet vita virorum:
Hos nouies ſuperat viuendo garrula cornix:
Et quater egreditur cornicis ſecula ceruus.

Qua deſcriptione, hominis vita eſſet annorum nonaginta ſex, cornicis, octingentorum ſexaginta quatuor: cerui, trium millium quadringentorum quinquaginta ſex: quæ conſiderato. Hîc autem Seruius mirificam fabulam Plinio attribuit, quòd cerui cùm ſe grauatos ætate cognouerint, ſerpentes requirant, & eos flatu ad ſe tractos cùm comederint, ad ætatem priorem reuertantur. Hîc igitur interpres cum iudicio legendus eſt.

Suras] Suræ partes ſunt poſteriores crurum, quæ ſolis hominibus inſunt. *Cothurno*] hoc nomine ſignificantur calceamenta venatoria, quibus etiam crura vinciũtur, & vtrique pedi æqualiter aptantur: Sic vſurpatur primo AEneidos,

Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram,
Purpureóque altè ſuras vincire cothurno.

Sinum] Reponitur munerum liberalitas, partim minor,

nor, quia minori deo: partim par, partim etiã amplior. *Sinum*] Sinum vel ſinus genus vaſis eſt galeolæ formam habentis. *Liba*] Libũ dulciarius cibus eſt ex farre, melle & oleo: Sic dictum, quia libando, id eſt, ſacrificando adhibeatur: placentam Seruius interpretatur. De Priapo deo, plurima ſunt in Priapeis, opuſculo Maroni attributo. *Si fœtura*] Id eſt, ſi grex auctus fuerit.

Nerine] Inuitat amicam formæ commendatione è tribus minoribus. Nerine filia Nerei, de quo iam dictum,

–Nerea ponto.

Thymo] de quo iam dictũ in illo verſu, ecloga quinta,

Dumque thymo paſcentur apes–

vt eo largè florente prouentum ſperent apiarij.

Hyblæ] de qua iam dictum ecloga prima,

Hyblæis apibus florem depaſta ſalicti.

Dulcior thymo] Intellige apibus: nam hominibus non eſt dulcis: & ſenſus eſt, Galatea mihi dulcior eſt, quàm thymus hyblæis eſt apibus. Idyllio nono,

–οὔτε γὰρ ὕπνος,
οὔτ' ἔαρ ἐξαπίνας γλυκερώτερον, οὔτε μελίσσαις
ἄνθεα, ὅσσον ἐμὶν Μῶσαι φίλαι.

–Nec enim ſomnus,
Neque ver repente dulcius, neque apibus
Flores, quantum mihi muſæ amicæ.

Alba] Hedera differentias multas ſpecie ſortitur: ſummas autem genere tres: Nam quædam candida eſt, altera nigra, tertia helix: Candida fructum fert candidum: nigra, nigrum aut croci æmulum, quam vulgus Dionyſiam vocat: Helix fructum non gignit, ſed albas habet viticulas, & folia parua, anguloſa, & concinniora: Dioſcorides libri ſecundi capite centeſimo ſeptuageſimo ſecundo. *Qua*] Hîc nominatiui caſus eſt, & ideo corripitur. Ecloga autem ſexta,

Si qua fortè ferant– fuit ablatiui & ſubaudiebatur via. *Immo*] Reponitur maioris amoris argumentum è triũ minorũ collatione, & tẽpus amoris adeſſe indicatur. *Sardois*] caſus græcus pro Sardiniis. Sardinia her-

ba veſcentibus mentem adimit, & quadam neruorum diſtentione labia in rictum contrahit, vt riſus ſpeciem præbeant à qua affectione de Sardonio riſu adagium in vulgus infauſto omine manauit: Dioſcorides libri ſexti capite decimoquarto. Multa & varia colligit Eraſmus in Chiliadibus de hoc adagio. *Amarior*] Sapore tamen dulcis eſſe dicitur. *Ruſco*] Ruſcum aut ruſcus virgultum vnde vites ligantur, authore Virgilio in Georgico ſecundo,

-Nec non aſpera ruſci
Vimina per ſyluam.

Ex eo quondam: vt nunc, ruri ſcopæ fiebant: ſylueſtris myrtus à Dioſcoride dicitur libri quarti capite centeſimo viceſimo nono. *Alga*] herba marina in rupibus etiam naſci ſolita, foliis lactucæ ſimilis: Idem Horatius ei tribuit ſecundo Sermonum,

-niſi cum re uilior alga eſt.

Si mihi] Amoris vim exprimit, quam Horatius epiſtola prima,

Vt nox longa quibus mentitur amica.

Ite domum] Talis Epanodos eſt ecloga prima,

Ite meæ quondam fœlix pecus, ite capellæ.

Et iterum decima,

Ite domum ſaturæ, venit Heſperus, ite capellæ.

Muſcoſi fontes] Optatur gregi lætum vmbraculum aduerſus ardores æſtatis, quæ ſuis adiunctis notatur: quomodo grauidarũ equarum tertio Georgico deſcribitur,

Saltibus in vacuis paſcant, & plena ſecundum
Flumina, muſcus vbi & viridiſsima gramine ripa,
Speluncæque tegant & ſaxea procubet vmbra.

Tale quiddam eſt illud octaui Idyllij

κρᾶναι καὶ βοτάναι γλυκερὸν φυτόν.

Fontes & herbæ dulcis planta.

Arbutus] de qua fuit ecloga tertia:

-depulſis arbutus hœdis.

Solſtitium] Cùm ſol aſcendere deſinit, vt in primo gradu Cancri, quod hodie fit vndecimo & duodecimo die

Iunij

Iunij. Id anteà fuit, viceſimo quinto & viceſimo quarto Iunij: cùm autem deſcendere deſinit in primo gradu Capricorni, propriè bruma dicitur, & id fit vndecimo & duodecimo Decembris, quondam viceſimo tertio & viceſimo quinto. Cauſſa tantæ varietatis eſt, è vitioſa anni definitione à Iulio Cæſare facta: minor enim facta eſt decem minutis & quadraginta quatuor ſecũdis. Hîc autem metonymia eſt, ſolſtitium, pro ſummi ſolis æſtu.

Torrida] Metonymia ex effectis ſignificans cauſſam: vt pallida mors. *Læto*] metonymia ſimilis eſt.

Palmite] Palmes propriè dicitur in vitibus, vt in arboribus ſurculus, vbi pampini & vuæ ſucceſcunt.

Gemmæ] Metaphora eſt à lapillis pretioſis: neceſſitate autem ruſtici dicũt gemmam in vitibus. Quid enim dicerẽt aliud? ait Quintilianus libri octaui capite ſexto.

Hic focus] Reponitur de contrario frigore quòd magno & aſſiduo igne refellatur: ídque illuſtratur duorum pariũ collatione. *Focus*] de quo ſic Ouidius ſexto Faſtorũ:

At focus à flammis, & quòd fouet omnia, dictus.

Tædæ] Tæda arbor eſt in Illyrico, redundantiore humore quàm reliquæ, parcior liquidiórque quàm picea, flammis & lumini ſacrorum grata, ait Plinius libri decimi ſexti capite decimo. Impropriè autẽ quæuis ligna tædas appellamus, quæ flamma olei vel picis illitu concepta, faculæ modo luceant, Idyllio vndecimo,

ὀντὶ δρυὸς ξύλα μοι, καὶ ὑπὸ σποδῷ ἀκάματον πῦρ.

Sunt quercus ligna mihi, & ſub cinere perpetuus ignis.

Tantum Boreæ] Locus eſt Theocriti nono Idyllio, vbi collatio quædam ſimilis eſt, ſed res diuerſa:

τῶ δὲ θέρευς φρύγοντος ἐγὼ τόσον μελεδαίνω,

ὅσον ἐρῶντι πατρὸς μύθων καὶ ματρὸς ἀκούειν.

Æſtatem autem torrentem ego tantum curo,

Quantum amant patris verba & matris audire.

Torrentia] Torrens ſiquidem eſt fluuius è repẽtinis pluuiis factus, è montibus præcipitans in valles:

-aut rapidus montano flumine torrens

Sternit agros, ſternit ſata læta, boúmque labores,

Secundo AEneidos.

Stant] Amplificatur amor Alexidis hyperbolica diſſimilium collatione. Quanuis omnia lætiſſima ſint, attamen diſceſſu Alexidis etiam flumina ſiccarentur.

Iuniperi] Iuniperus arbuſcula in locis arenoſis perpetua coma virens, vnde topiario operi idonea: carioſam ſenectam (vt Plinius libri decimiſexti capite quadrageſimo ait) non ſentit. *Aret ager*] Reponitur contrariæ laudis amor, ex hyperbolico item diſſimili: Quanuis omnia nũc mœſtiſsima ſint, attamen Phyllidis aduentu fient lætiſsima. Argumentum his duobus alternis tale eſt Idyllio octauο,

πάντα ἔαρ, πάντα δὲ νομοὶ, πάντα δὲ γάλακτος
  οὔθατα πλήθουσιν, καὶ τὰ νέα τρέφεται·
οὖθ' ἁ καλὰ παῖς ἐπινίσεται, αἳ δ' ἂν ἀφέρπῃ,
  χ' ὡ ποιμὰν ξηρὸς τηνόθι χ' αἱ βοτάναι.
Omnino ver, omnino autem paſcua, omnino lacte
  Vbera turgent, & noua nutriuntur:
Quò pulchra puella aduenit: ſi autem abit
  Et paſtor aridus hîc & herbæ.

Iuppiter] Metonymia pro aëre qui concretus in pluuiam decidit: quarto Idyllio,

χ' ὡ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει.
Et Iupiter aliquando quidem eſt ſerenus, aliquando quidem pluit.

Populus] Amplificatur amor eiuſdem Phyllidis hyperbolicis iterum diſsimilibus quatuor: Quanuis arbores pleræque diis ſuis ſint gratiſsimæ, attamẽ corylus amata Phyllidi, nihil eis cedit. protaſis ſubiectis illuſtratur.

Populus] Populo coronatus Hercules ad inferos deſcẽdit, & pars foliorum quæ temporibus adhæſerat, alba: quæ exterior fuerat, atra inferorum fuligine, nigra permanſit: atqui hi colores adhuc in arboris huius foliis cernuntur. Phyſici referunt Herculem ad tempus, cuius differentiæ ſint nox atra & illuſtris dies: hinc populus ſacra Herculi, & in eius ludis & ſacris coronati populea corona ſunt. *Alcidæ*] Achilles dicitur Alcides ab

auo Mcæo patre Amphittyonis, vel ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, id eſt fortitudine. *Myrtus*] Veneri myrtus ideo ſacta, quia plurima naſcitur in littore maris, è cuius ſpuma nata fingitur Venus, vel quia muliebribus Venerearum partium morbis medetur. De quibus Plinius libri viceſimi quatti capite decimonono. *Laurea*] Id eſt laurus ipſa, metonymia eſt. de lauro iam fuit ecloga tertia,

-ſua ſemper apud me
Munera ſunt lauri.

Itemque ſexta,

-iuſſitque ediſcere lauros.

Fraxinus] Reponitur par ex eodem quatuor aliorum diſsimilium genere. Quanuis arbores pleræque ſuo ſolo ſint pulcherrimæ: attamen illis pulchrior eſt Lycida. Protaſis item ſuis ſubiectis illuſtratur: de quibus multa Plinius libri decimi ſexti capite decimo octauo: vbi ait fraxinum aquoſis montibus gaudere: populum montibus quidem, ſed non niſi locis aquoſis: abietem montibus & vallibus delectari. De quo ſecundo Georgico dicemus latiùs ad eum locum:

Nec verò terræ ferre omnes omnia poſſunt:
Fluminibus ſalices, craſſiſque paludibus alni,
Naſcuntur-

Abies] Abietis pars inferior & enodis, ſapinus: ſuperior autem nodoſa & durior, ſuſterna dicitur, ait Plinius libri decimi ſexti capite triceſimo nono. Vitruuius libri ſecundi capite nono, non ſuſternam, ſed fuſternam partem illam nominat: vulgus tamen gallicum, totam arborem, ſapinum dicit. *Hæc memini*] Concluditur ecloga narratione Melibœi, vt erat inſtituta.

Corydon, Corydon.] Epizeuxis eſt, vt fuerat ecloga ſecunda.

Eclo-

ECLOGA OCTAVA.

Pharmaceutria.

Poëta.

Damon. *Alpheſibœus.*

PAſtorum muſam Damonis, & Alpheſibœi,
Immemor herbarum quos eſt mirata iuuenca
Certanteis, quorum ſtupefactæ carmine lynces,
Et mutata ſuos requierunt flumina curſus,
Damonis muſam dicemus, & Alpheſibœi.
Tu mihi, ſeu magni ſuperas iam ſaxa Timaui,
Siue oram Illyrici legis æquoris, en erit vnquam
Ille dies, mihi cùm liceat tua dicere facta?
En erit, vt liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?
A te principium, tibi deſinet: accipe iuſsis
Carmina cœpta tuis, atque hanc ſine tempora circum
Inter victrices hederam tibi ſerpere lauros.
Frigida vix cœlo noctis deceſſerat vmbra,
Cùm ros in tenera pecori gratiſsimus herba eſt:
Incumbens tereti Damon, ſic cœpit oliuæ:
DA. Naſcere, præque diem veniens age Lucifer almum:
Coniugis indigno Niſæ deceptus amore
Dum queror: & diuos (quanquam nil teſtibus illis
Profeci) extrema moriens tamen alloquor hora.
Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.
Mænalus argutúmque nemus, pinóſque loquentes
Semper habet, ſemper paſtorum ille audit amores:
Panáque, qui primus calamos non paſſus inertes.
Incipe

Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus,
Mopſo Niſa datur: quid non ſperemus amantes?
Iungentur iam gryphes equis, æuóque ſequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula Damæ.
Mopſe nouas incîde faces, tibi ducitur vxor.
Sparge marite nuces, tibi deſerit Heſperus OEtam.
Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.
O digno coniuncta viro, dum deſpicis omnes:
Dúmque tibi eſt odio mea fiſtula, dúmque capellæ,
Hirſutúmque ſupercilium, prolixáque barba:
Nec curare Deum credis mortalia quenquam.
Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.
Sepibus in noſtris paruam te roſcida mala
(Dux ego veſter eram) vidi cum matre legentem:
Alter ab vndecimo tum me iam cœperat annus:
Iam fragiles poteram à terra contingere ramos:
Vt vidi, vt perij, vt me malus abſtulit error.
Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.
Nunc ſcio, quid ſit amor: duris in cotibus illum
Iſmarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec noſtri generis puerum, nec ſanguinis edunt.
Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.
Sæuus amor docuit natorum ſanguine matrem
Commaculare manus: crudelis tu quoque mater,
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer: crudelis tu quoque mater:
Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.
Nunc & oues vltro fugiat lupus: aurea duræ
Mala ferant quercus: narciſſo floreat alnus:
Pinguia corticibus ſudent electra myricæ.

Certent & cygnis vlulæ: ſit Tityrus Orpheus:
Orpheus in ſyluis, inter delphinas Arion.
Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.
Omnia vel medium fiant mare: viuite ſyluæ.
Præceps aërii ſpecula de montis in vndas
Deferar: extremum hoc munus morientis habeto.
Deſine Mænalios, iam deſine tibia verſus.
Hæc Damon: vos quæ reſponderit Alpheſibœus,
Dicite Pierides: Non omnia poſſumus omnes.

AL. *Effer aquam, & molli cinge hæc altaria vitta:*
Verbenáſque adole pingues, & maſcula thura,
Coniugis vt magicis ſanos auertere ſacris
Experiar ſenſus: nihil hic niſi carmina deſunt.
Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim.
Carmina vel cœlo poſſunt deducere lunam:
Carminibus Circe ſocios mutauit Vlyßi:
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim.
Terra tibi hæc primum triplici diuerſa colore
Licia circundo, térque hæc altaria circum
Effigiem duco. Numero Deus impare gaudet.
Ducite ab vrbe domũ mea carmina, ducite Daphnim.
Necte tribus nodis ternos Amarylli colore,
Necte Amarylli modò, & Veneris, dic, vincula necto.
Ducite ab vrbe domũ mea carmina, ducite Daphnim.
Limus vt hic dureſcit, & hæc vt cera liqueſcit
Vno eodémque igni, ſic noſtro Daphnis amore.
Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros.

Daphnis

Daphnis me malus vrit: ego hanc in Daphnide laurũ.
Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim.
Talis amor Daphnim, qualis, cùm feſſa iuuencum
Per nemora, atque altos quærendo bucula lucos
Propter aquæ riuum viridi procubit in vlua
Perdita, nec ſeræ meminit decedere nocti:
Talis amor teneat nec ſit mihi cura mederi.
Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim.
Has olim exuuias mihi perfidus ille reliquit,
Pignora chara ſui: quæ nunc ego limine in ipſo
Terra tibi mando: debent hæc pignora Daphnim.
Ducite ab vrbe domũ mea carmina, ducite Daphnim.
Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena
Ipſe dedit Mœris, naſcuntur plurima Ponto.
His ego ſæpè lupum fieri, & ſe condere ſyluis
Mœrim, ſæpè animas imis excire ſepulchris,
Atque ſatas alio vidi traducere meſſes.
Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim.
Fer cineres Amarylli foras, riuóque fluenti,
Tránſque caput iace, ne reſpexeris: his ego Daphnim
Aggrediar: nihil ille deos, nil carmina curat.
Ducite ab vrbe domũ mea carmina, ducite Daphnim.
Aſpice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte ſua, dum ferre moror, cinis ipſe: bonum ſit:
Neſcio quid certè eſt, & Hylax in limine latrat:
Credimus? an qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt?
Parcite, ab vrbe venit, iam parcite carmina, Daphnis.

IN OCTAVAM ECLOGAM

OCTAVA ecloga continet querimoniã amatoris de amica Niſæ alteri nupta: & veneficæ Daphnidem amaſium ab vrbe carminibus reuocãtis. Prior pars cantatur à Damone, poſterior ab Alpheſibœo. Ecloga autem hæc ſola doctrinæ methodum habet: ſola enim rẽ proponit, partitur, partéſque tranſitionibus annectit. Titulus eclogæ è ſecunda parte ſumptus eſt: φάρμακον, venenum, remedium dicitur: ſic φαρμακεύω ſeu φαρμακεύομαι, veneno inficio, medeor: & φαρμακεὺς, veneficus, incantator, & φαρμακεύτρια, venefica, ſaga: Qui titulus eſt ſecundi Idyllij apud Theocritum, vnde hæc mutuatus eſt Virgilius. *Paſtorum*] Sexdecim primi verſus exordium continent, vbi res primùm ad intelligentiam proponitur, & augetur adiunctis ad attentionem. *Lynces*] Quid lynces Bacchi variæ, erit tertio Georgico: Item,

maculoſæ tegmine lynces-

erit AEneidos primo. *Damonis*] Tres ſuperiores verſus parentheſi includuntur, hîc propoſitionis inchoatæ ſententia verbis repetitis abſoluitur. *Tu*] Tertius exordij locus ad Auguſti gratiam, cuius res geſtas deſcribere cupiat. *Timaui*] Timauus Venetiæ fluuius, de quo primo AEneidos,

Regna Liburnorum & fontem ſuperaſſe Timaui.

Illyrici] Illyria hodie Sclauonia dicitur: Auguſtus autem bellum Dalmaticum geſſit Antonio deuicto: Itaque tempus illud nõdum hîc intelligi poteſt, & Pannonica Germanicáque bella per legatos geſſit: Ita tamen vt quibuſdam interueniret aut non longè abeſſet: Rauennam, vel Mediolanum vel Aquileam vſque progrediens, ait Suetonius in Auguſto, capite viceſimo: quorum tamen nihil videtur hîc accipi poſſe: ſimile eſt Idyllio

Idyllio primo,

ὦ πὰν πὰν, εἴτ᾽ ἐσσὶ κατ᾽ ὤρεα μακρὰ λυκαίω,
εἴτε τύγ᾽ ἀμφιπολεῖς μέγα Μαίναλον ἔνθ᾽ ἐπὶ νᾶσον
τὰν σικελάν.
O Pan *Pan*, *ſiue es iuxta montes Lycæi,*
Siue tu circuis magnum Mænalum, veni in inſulam
Siculam.

Sophocleo] Sophocles tragicus poëta centum viginti tres fabulas edidit, victorias viginti tres retulit, ait Suidas. Grauitas eius & cothurnus & ſonus tragicus celebratur à Quintiliano libri decimi capite primo. Cothurnus (de quo ecloga ſuperiore) aſſumebatur tragœdis: ideo per metonymiam pro ſublimitate capitur. Sic Horatius in arte,

Archilochum proprio rabies armauit Iambo:
Hunc ſocci cepere pedem grandéſque cothurni.

A te] Pollicetur omnibus operibus ſe laudes Auguſti complexurum. Sic Homerus:

ἐν σοὶ μὲν λήξω καὶ ἄρξομαι.

Et Horatius prima epiſtola,

Prima dicte mihi, ſumma dicende camœna.

Frigida] Chronologia qua nocturnæ amatoris vigiliæ indicantur. *Incumbens*] Locus breuiter indicatur, vbi Damon conqueſtus eſt. Sic ecloga prima, fagus Tityro, ſecunda fagi, montes, & ſyluæ Corydoni: tertia mollis herba Damœtæ & Menalcæ & Palæmoni: quinta miſtæ corylis, vlmi & antrum, vt ſexta: ſeptima autem ilex arguta proponitur. *Cùm ros*] Idem verſus iteratur tertio Georgico,

Et ros in tenera pecori gratiſſimus herba.

Naſcere] Adhuc exordium fuit: querimonia Damonis ſequitur, vbi primùm dies optatur, & ſumma querimoniæ proponitur. *Teſtibus*] Quibus Niſa mihi matrimonium iurauerat. Repetitum è Ciri,

Supprimite, ô paulùm turbati flumina venti,
Dum queror & diuos, quanquam nil teſtibus illis
Profeci, extrema moriens tamen alloquor hora.

Lucifer] Mane phoſphorus cùm ſolem præcedit: veſperi Heſperus dicitur, cùm ſolem ſequitur.

Incipe] Mænalios id eſt arcadicos verſus implorat: Ratio ex coniugatis eſt, per varia adiuncta amplificatis, quia paſtores Mænalij & Arcades præclarè canunt, vt anteà iam ecloga quarta propoſuimus: Mænalios pro arcadicos ſynecdoche eſt ſpeciei pro genere: & arcadicos pro valde muſicos eſt metonymia. Hæc igitur duorum troporum metalepſis hîc capienda eſt.

Mænalios] Mænalus eſt mons Arcadiæ, Pani muſicæ deo ſacer: vt hîc etiam indicatur. *Incipe Mænalios*] Hic verſus ſæpius in tota querimonia repetitur, & idem intercalaris appellatur: quia intercaletur id eſt interponatur: imitatio eſt Theocriti: In primo enim & ſecundo Idyllio tales ſunt verſus: in primo,

Ἄρχετε βωκολικᾶς μῶσαι φίλαι, ἄρχετ᾽ ἀοιδᾶς.
Incipite bucolicum muſæ amicæ, incipite cantum.

Et, Ἴυγξ, ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.
Iynx trahe tu illum meam ad domum virum.

Item,

Φράζεό μευ τὸν ἔρωθ᾽ ὅθεν ἵκετο πότνα σελάνα.
Dic meum amorem vnde venit veneranda luna.

Item Idyllio decimonono,

ἄρχετε σικελικαὶ τῶ πένθεος, ἄρχετε μῶσαι.
Incipite Siculæ luctum incipite muſæ.

Ab interprete Theocriti, προάσμα καὶ ἐπιμελῴδημα, Præcentio, & aſsiduus verſus. *Pinóſque loquentes*] Sic Idyllio primo,

Ἁ πίτυς μελίσδετε, *Pinus canit,*

propter frondium ſuſurrum, ventorum flatu excitatum, vt iam patuit ecloga ſeptima de arguta ilice.

Semper ſemper] In principiis ſententiarum eſt anaphora. *Primos calamos*] Sic ecloga ſecunda,

Pan primus calamos cera coniungere plures
Inſtituit.

Mopſe] Quæſtio eſt querimoniæ ſubiecta, quæ duobus paribus exaggeratur, quibus aliena & contra naturam

turam matrimonij huius coniunctio ſignificatur. *Gryphes*] Ghryphi aut gryphes omni parte leones ſunt, alis & facie aquilis ſimiles, equis vehementer infeſti, Apollini ſacri, ait Seruius. Plinius autem putat, vt pegaſos, ſic gryphes fabuloſas aues eſſe, libri decimi capite quadrageſimo nono, ſicut eaſdē fabuloſè dici Scythici auri cuſtodes, libri ſeptimi capite ſecundo. *Mopſe*] Apoſtrophe ad Mopſum, qua matrimonium ſuis adiunctis illuſtratur, facibus, nucibus, nocte: Seruius leonem Mopſum non virū putat deſcribi, qui deformis formoſam duxerat. *Damæ*] Sunt è genere ſylueſtrium caprarum: Horatius primo Carminum extulit fœminino genere,

Et ſuperiecto pauidæ natarunt

AEquore damæ.

Soſipater Cariſius hic ſolœciſmum notauit. *Faces*] Fax fuſtis inciſus cera vel oleo vnctus ad lumen faciēdum, fitque præcipuè ex arundinibus aridis & piceis arboribus. Faces autem in nuptiis quinque præferebantur, quia olim non niſi per noctem ducebantur: nec limen ſponſæ calcabant, ne deponendæ virginitatis initium à ſacrilegio inchoarent: quia lumen eſt ſacrum Veſtæ.

Nuces] Nuces iuglandes nuptialium feſcenninorum comites, quibus honor naturæ peculiaris, gemino protectæ operimēto: puluinati primùm calicis, mox lignei putaminis, quæ cauſſa eas nuptiis religioſas fecerit tot modis fœtu minuto: quod veriſimilius quàm quia cadendo tripudium ſonumque faciant, Plinius libri decimi quinti capite viceſimo ſecundo. *Oetam*] Montem Theſſaliæ tam altum, vt ibi ſtellæ videantur occidere, ſicut ex Ida videntur oriri, vt eſt ſecundo AEneidos,

Iámque iugis ſummæ ſurgebat Lucifer Idæ.

O *digno*] Irridetur Niſa velut miſerè nupta, & miſeriæ cauſſa in eius faſtum periuriúmque refertur: Ironia igitur eſt. *Hirſutum*] Locus eſt vndecimo Idyllio cōſimilis:

οὕνεκά μοι λασία μὲν ὀφρὺς ἐπὶ παντὶ μετώπῳ.

Quoniam mihi quidem hirſutum ſupercilium in omni fronte;

Quiddam etiam huius eſt loci Idyllio tertio,

ἦ ῥά γέ τοι σιμὸς καταφαίνομαι ἐγγύθεν ἦμεν
Νύμφα, καὶ προγένειος;
An tibi ſimus videor prope eſſe
Nympha, & barbatus?

Sepibus] Querimonia fuit adhuc de Mopſo & Niſa, nunc eſt de Damonis errore, vbi periphraſis eſt iuuenilis ætatis, qua in amorem Niſæ primùm incidit.

Roſcida] Sic ecloga quarta fuit,

Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.

Dux] Locus eſt ex Idyllio vndecimo,

ἠράσθην μὲν ἔγωγε κόρα τεῦ, ἀνίκα πρᾶτον
ἦνθες ἐμᾷ σὺν ματρὶ, θέλοισ' ὑακίνθινα φύλλα
ἐξ ὄρεος δρέψασθαι· ἐγὼ δ' ὁδὸν ἡγεμόνευον.
Amaui ego quidem puella te, quando primùm
Veniſti mea cum matre, volens hyacinthina folia
E monte decerpere: ego autem viam præibam.

Vt vidi] Idyllio ſecundo eſt,

χ' ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην, ὥς μευ πέρι θυμὸς ἰάφθη
δειλαίας.
Vt vidi, vt perij, vt me circum animus læſus eſt
Miſeræ.

Quod idem tertio Idyllio repetitur,

ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλλετ' ἔρωτα.
Vt vidit, vt periit, vt in profundum ſaltauit amorem.

Abſtulit error] ex Idyllio eſt ſecundo paulò poſt illum ſuperiorem locum,

-ἀλλά μέ τις καπυρὰ νόσος ἐξαλάπαξε.
Sed me quidam igneus morbus conſumpſit.

Repetitum è Ciri, *-vultu decepta puella*
Vt vidi, vt perij, vt me malus abſtulit error.

Nunc ſcio] Quartus querimoniæ locus in amorẽ, qui primùm è procreantibus cauſſis accuſatur. Locus autem è tertio Idyllio,

Νῦν ἔγνων τὸν Ἔρωτα· βαρὺς θεός, ἦ ῥα λεαίνας
μασδὸν ἐθήλαζε, δρυμῷ τέ μιν ἔτρεφε μάτηρ.
Nunc cognoui Amorem: grauis deus, certè leænæ

Mammam

Mammam ſuxit, nemoréque ipſum nutriuit mater.

Item Idyllio viceſimo octauo,

κ' ὀυκ ἤδη τὸν ἔρωτα, τὶς ἦν θεὸς, ἡλίκα τόξα
χερσὶ κρατεῖ, πῶς πικρὰ βέλη ποτὶ παιδία βάλλει.

Neque ſciebat Amorem quis erat deus, quantos arcus
Manibus tenet, quomodo amaras ſagittas ad pueros iacit.

Iſmarus] Bembus legit Tmarus, quia Iſmarus mons eſt hoſpitalis & cultus in Thracia: at de inculto loquitur hîc Virgilius, & duris cotibus horrido: qualis eſt in Epiro Tmarus ſeu Tomarus. Poteſt tamen ad mores referri locus: Icones enim Iſmarum habitarunt, gens immanis & inhoſpitalis: & ecloga ſexta ſunt cõiuncta Iſmarus & Rhodope. *Extremi*] Sunt enim Garamantes vltra Getulos in Africa. Et ſexto AEneidos,

-vltra Garamantas & Indos,

pro remotiſſimis populis eſt dictum. *Nec noſtri*] Illuſtratio ex diſsimili. *Sæuus*] Altera reprehenſio amoris ex effectis crudelibus: vbi parium collatio quædam eſt Cupidinis & Medeæ. *Matrem*] Quis ignorat Medeam ab Iaſone cõtemptã ſuos liberos intereniſſe? *crudelis*] Apoſtrophe ad Medeã, vbi & polyptotõ (*matrem & mater.*) *Crudelis mater*] Species eſt addubitationis, & primò anaphora. *Puer improbus*] Periphraſis eſt Cupidinis. *Improbus ille puer*] Anadiploſis. *Crudelis*] Epanalepſis totius orationis: mira autẽ eſt Seruij hoc loco Logica: Nõ eſt, ait, ſuperflua hæc verborum repetitio, nam ſyllogiſmus eſt plenus, qui cõſtat ex propoſitione, aſſumptione & concluſione. At hic grãmaticus melius aliquid quàm ſciret, explicare voluit: Syllogiſmus hîc nullus eſt, ſed eiuſdẽ rei quæſtio & reſpõſio ſine argumento & ratione. *Nunc & oues*] Exaggeratur ſeptẽ paribus hyperbolicis huius matrimonij indignitas, qui loc' priùs attingitur,

Iungentur iam gryphes equis.

Lupus] Diſsimile fuit ecloga quinta,

Nec lupus inſidias pecori.

Mala] Diſsimile fuit ecloga quarta,

Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.

Narciſſo] De hoc ecloga ſecunda,

Narciſſum & florem iungit beneolentis anethi.

Electra] Electrum Latinis eſt ſuccinum: Ambra vulgò dicitur, de cuius origine, & genitali ſolo, multa Plinius libri viceſimi ſeptimi capite ſecundo & tertio, vbi docet in inſulis Septentrionalis Oceani naſci: quod noſtro tẽpore adeo notum eſt, vt topographicis Septẽtrionis tabulis piſcantes ſuccinum videantur. Recitat autem locis illis Plinius infinitos errores hac de re. *Vlulæ*] Vlula auis eſt nocturna ἀπὸ τοῦ ὀλολύζειν, ab eiulando.

Orpheus] In fine & principio Anadiploſis, vt ecloga 6.

-ſuperuenit Ægle
Æglê Naiadum pulcherrima.

Et paulò antè,

-improbus ille
Improbus ille puer.

Arion] Fabulam recitat ex Herodoto Gellius libri decimi ſexti capite decimonono, quomodo citharœdus Methymnęus è Lesbo primũ à Periãdro rege Corinthio honoratus fuerat, tũ in Siciliã & Italiã profectus, & magna gratia pecuniáque auctus cùm redire pararet Corinthum, ſit ab auaris nautis coactus in mare proſilire: à quibus tamen prius impetrauit indumenta, & fides, & canendi carminis poteſtatem, veluti mortis conſolationem. Itaque tum de more cinctum, amictum, ornatum carmen orthiũ cecíniſſe voce contẽtiſsima, tandémque in profundũ ex alta puppi deſiliiſſe, ſed à Delphino exceptum, & dorſo ad littus incolumen euectum: Cõparatio rerum impoſsibilium ſumpta eſt ex Idyllio primo,

Νῦν ἴα μὲν φορέοιτε βάτοι, φορέοιτε δ' ἄκανθαι.
Α' δὲ καλὰ νάρκισσος, ἐπ' ἀρκεύθοισι κομάσαι·
πάντα δ' ἔναλλα γένοιντο, καὶ ἁ πίτυς ὄχνας ἐνείκαι.
Δάφνις ἐπεὶ θνάσκει καὶ τὼς κύνας ὥλαφος ἕλκοι.
κ' ἠξ ὀρέων τοὶ σκῶπες ἀηδόσι γαρύσαιντο.

Nunc violas ferte quidem rubi, ferte autem ſpinæ,
Pulchra autem narciſſus in iuniperis germinet,
Omnia autem mutata fiant, & pinus pira ferat,

Daphnis

Daphnis quando moritur, & canes ceruus trahat,
Et ex montibus bubones luſciniis garriant.

Et Idyllio quinto,

·ὗς ποτ' Ἀθαναίαν ἔριν ἤριστ.

Sus cum Minerua contentionem contendit.

Et ibid. οὐ θεμιτὸν λάκων ποτ' ἀηδόνα κίσσας ἐρίσδεν,

οὐδ' ἔποπας κύκνοισι.

Non licitum Lacon cum luſcinia picas contendere,
Neque vpupas cum cygnis.

Tales ſunt comparationes in Lucretio libro tertio,

Non ita certandi cupidus quàm propter amorem,
Quòd te imitari aueo: quid enim contendat hirundo
Cygnis? aut quidnam tremulis facere artubus hœdi,
Conſimile in curſu poſſint ac fortis equi vis?

Omnia vel] Optat omnes terras maris fluctibus operiri, vt ſubmergatur: qualis ferè optatio eſt AEneidos 4.

Sed mihi vel tellus optem priùs ima dehiſcat.

Syluæ] Bucolicum ſolum perſæpe iam in hoc verbo vidimus. *Viuite*] Tale igitur ecloga prima,

Ite meæ quondam-

Aërię] Sic anteà ecloga prima,

Nec gemere aëria ceſſabit turtur ab vlmo.

Et 3. *Nanque notaui*
Ipſe locum, aëriæ quo congeſſère palumbes.

Specula] Specula locus eſt altus, vnde poteſt eminus ſpectari. Multò antè, tanquam è ſpecula, proſpexi tempeſtatem futuram, ait ad Seruium Cicero quarto epiſtolarum. Similis autem locus eſt Idyllio tertio,

·τὰν βαίταν ἀποδὺς, εἰς κύματα τηνῶ ἁλεῦμαι.

Veſtem exuens in fluctus illos proſiliam.

Et item quinto Idyllio:

·ἢ κατὰ τηνῶ

τὰς πέτρας ὤνθρωπε, μανεὶς εἰς Κρᾶθιν ἁλεῦμαι.

·*aut ab illa*
Petra, ô homo, furens in Crathin proſiliam.

Habeto] Apoſtrophe ad Niſam, in cuius inuidiam moriatur. Tertio Idyllio,

κείσευμαι δὲ πεσὼν, καὶ τοὶ λύκοι ὧδέ μ' ἔδοντι,
ὡς μέλι τοὶ γλυκὺ τοῦτο κατὰ βρόχθοιο γένοιτο.
Iacebo autem cadens, & lupi hic me edent,
Tanquam mel tibi dulce hoc in gutture fiet.

Deſine] Significatur querimoniæ concluſio, vt anteà fuit ecloga tertia,

Claudite iam riuos pueri, ſat prata biberunt.

Hæc Damon] Methodica tranſitio, qua memoria præteriti carminis reficitur, & proponitur intelligentia futuri. *Dicite*] Inuocatione indicat tantum eſſe carmen vt à numinibus debeat exponi. *Dicite pierides*] Sic ecloga ſexta fuit,

Pergite Pierides-

Non omnia] Sic ecloga ſeptima fuit,

-aut ſi non poſſumus omnes.

Effer] Carmen eſt deinceps Alpheſibœi, quo venefica ſuis incantamentis alienatum à ſe amaſium reuocare nititur: Incantationis cauſſæ effectrices multæ deſcribuntur, primùm altare, vittæ, aqua, verbenæ, thura: qualia quidem in Theocriti Idyllio ſecundo ſunt,

πᾶ μοι ταὶ δάφναι, φέρε Θέστυλι, πᾶ δὲ τὰ φίλτρα;
στέψον τὰν κελέβαν φοινικέῳ οἰὸς ἀώτῳ.
Vbi mihi lauri, dic Theſtyli, vbi philtra?
Coronato poculum purpureo ouis flore.

Effer aquam] Idyllio decimo quinto,

ἔγχει ὕδωρ δύστανε.
Infunde aquam infœlix.

Illotis verò manibus attrectare ſacra nefas erat: AEneas ideo cruentus, Anchiſæ patri ſacra capienda proponit ſecundo AEneidos,

Tu genitor cape ſacra manu, patrióſque penates,
Me bello à tanto digreſſum & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Verbenáſque] Nulla herba Romanæ nobilitatis plus habet quã Hierobotane, aliqui periſtereon, noſtri verbenacã vocãt: auctores imperij Romani conditoréſque immenſum

immenſum quiddam & hinc ſumpſere, quoniam non aliunde ſagmina in remediis publicis fuere & in ſacris legationibus quàm verbenæ: certè vtroq; nomine idem ſignificatur, hoc eſt gramen ex arce cum ſua terra euulſum: hac ſemper & legati cùm ad hoſtes clarigatúmque mitterentur, vſi, id eſt res captas clarè repetitum, vnus vtiq; verbenarius vocabatur. Hac Iouis menſa verritur, domus purgantur luſtrantúrque: hac ſortiuntur Galli & præcinunt reſponſa, ſed magi vtique circa hanc herbam inſaniunt. Hac perunctos impetrare quod velint, febres abigere, amicitias conciliare, nulliſque non morbo mederi: aiúntque ſi aqua ſpargatur triclinium, quâ maduerit, lętiores conuictus fieri, aduerſus ſerpentes conteritur ex vino. Hæc Plinius libri viceſimi ſecundi capite ſecundo & libri viceſimi quinti capite nono.

Adole] Proprie eſt auge, & hîc κατ' ἐυφημισμὸν pro incende dicitur. *Maſcula*] Thus quod rotũditate guttæ pepẽdit, maſculum vocatur, cùm aliàs non ferè mas vocetur, vbi non ſit fœmina. Religioni tributum ne ſexus alter vſurparetur, tamen aliqui putant à ſpecie teſtium dictum. Plinius libri duodecimi capite decimo quarto.

Coniugis] Finis eſt incantationis. *Sanos*] non amantes, nam inſani ſunt amantes, vt AEneidos quarto,

Cùm ſic vnanimem alloquitur malè ſana ſororem.

Nihil] Indicat omnes incãtationis cauſſas adeſſe magicis verbis exceptis. *Ducite*] Hoc item ἐπιμελῶδημα vicem concluſionis habet, & illud eſt nimirũ Theocriti:

ἶυγξ, ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.

quod iam poſuimus, & hîc eſt Epanodos vt anteà.

Carmina vel] Collatio eſt trium maiorum: carminibus euocatur luna, homo transformatur, ſerpens rumpitur: eo ergo Daphnis reuocari poterit. *Carmina carminibus*] Polyptoton. *Circe*] de qua AEneidos ſeptimo,

Hinc exaudiri gemitus, iræque leonum
Vincla recuſantum, & ſera ſub nocte rudentum:
Setigeriqúe ſues, atque in præſepibus vrſi
Sæuire, ac formæ magnorum vlulare luporum:

Quos hominum ex facie dea ſæua potentibus herbis
Induerat circe,in vultus ac terga ferarum.

Et ibidem,

Picus equûm domitor,quem capta cupidine coniux
Aurea percuſſum virga,verſúmque veneno
Fecit auem Circe, ſparſitque coloribus alas.

Frigidus] Sic ecloga tertia,

Frigidus,ô pueri fugite hinc,latet anguis in herba.

Terna] Aliæ cauſſæ efficientes, vbi Syllogiſmus quidam eſt,

Numerus impar deo gratus eſt:
At hîc in ternis liciis tripliceis coloris, effigie amatoris ter circunducta,numerus eſt impar:
Deo itaque gratus.

Talis ternarius in Idyllio ſecundo,

ἐς τρὶς ἀποσπένδω,καὶ τρὶς τάδε πότνια φωνῶ.
Ad ter libo,& ter hæc venerabilis vociferor.

Locus autem eſt repetitus è Ciri,

Térque nouena ligat triplici diuerſa colore
Fila:ter in gremium mecum,inquit,deſpue virgo:
Deſpue ter virgo:numero deus impare gaudet.

Pythagorei verò rem omnem ac naturã trinitate perficiebant, vt Ariſtoteles docet libri primi capite primo de cœlo *Impare*] Metri cauſſa: nam impari dicendum fuit. de vi numerorum quæ paſſim memorantur ea videntur à Pythagoreis profluxiſſe,qui res omnes cenſebant eſſe numerorum μιμήσεις καὶ ὁμοιώματα, imitationes & ſimilitudines:& numerum eſſe τὴν οὐσίαν ἁπάντων, eſſentiam vniuerſorũ:quod Ariſtoteles in Philoſophia libri decimiquarti capite quinto meritò deriſit, & Galenus in libris Criticis. *Necte*] Ad ſuperioris aſſumptionis rationem,alii rurſus ternarij proponuntur.

Tribus ternos] Paronomaſia eſt. *Necte Amarylli*] Anaphora eſt. *Modo*] Quidam codices habent Nodos, ſed Modo,rectius eſt,&(Nodos)primam habet longam.

Veneris vincula necto] Anapæſticus eſt trimeter hypercatalecticus Veneri conſecratus: Simile illud eſt nonnihil

nihil in ſecundo Idyllio:

παλασ' ἅμα καὶ λέγε ταῦτα, τὰ Δέλφιδος ὀστέα πάσσω.
Sparge ſimul & dic hæc, Delphidis oſſa ſpargo.

qui rurſus eſt in eodem Idyllio,

καὶ λέγ' ἐπιφθύζοισα, τὰ Δέλφιδος ὀστέα πάσσω.
Et dic ſuſurrans, hæc Delphidis oſſa ſpargo.

Limus vt] Duarum imaginum ſimilitudine optat Daphnidem dureſcere mulieribus aliis, ſibi liqueſcere.

Limus] Metonymia eſt pro lutea ſtatua, & ex limo facta. Simile eſt in ſecundo Idyllio:

ὡς τοῦτον τὸν καρὸν ἐγὼ σὺν δαίμονι τάκω,
ὡς τάκοιθ' ὑπ' ἔρωτος ὁ Μύνδιος αὐτίκα Δέλφις.
Vt hanc ceram ego cum deo liquefacio;
Sic liqueſcat amore Myndius ſtatim Delphis.

Sparge molam] Cauſſæ ſunt aliæ incantationis adiutrices, vbi & par adhibetur. Idyllio ſecundo tale eſt,

ἄλφιτά τοι πρῶτον πυρὶ τάκεται, ἀλλ' ἐπίπασσε
Θέστυλι δειλαία.
Farinæ primùm igne liqueſcunt, ſed diſperge
Theſtyli miſera.

Molam] Mola far eſt toſtũ & ſale cõſperſum, quòd eo molito hoſtiæ aſpergãtur, ait Feſtus. *Bitumine*] Fulmina & fulgura ſulphuris quoque odorẽ habent, ac lux ipſa eorũ ſulphurea eſt, & bituminis vicina eſt natura: alibi limus, alibi terra: Limus è Iudææ lacu emergẽs: terra in Syria: vtuntur eo ad lucernarũ lumina olei vice, Plinius libri triceſimiquinti capite decimo quinto. *Daphnis me malus*] Simile eſt in Theocrito, Idyllio ſecundo,

Δέλφις ἔμ' ἀνίασεν, ἐγὼ δ' ἐπὶ Δέλφιδι δάφναν
αἴθω.
Delphis me vexauit, ego autem in Delphide laurum
Vro.

Talis amor] Imprecatio eſt per ſimilitudinem, qua furioſum & ſine remedio amorem Daphnidi imprecatur. *Lucos*] Primo AEneidos eſt,

Lucus in vrbe fuit media.

Vbi ait Seruius, Vbicunque Virgilius lucum ponit, ſe-

quitur etiam conſecratio. Hîc tamen Seruiana obſeruatio non eſt catholica: nulla etenim conſecratio hîc intelligitur: ſed lucos tanquam ſaltus & ſyluas dixit Virgilius. *Propter*] Hic verſus eſt in Ciri, ſed paulùm immutatus,

Riuum propter aquæ viridi ſub fronde latentem.

Vlua] aliàs herba legitur. Eſt autem vlua, herba paluſtris, vt Virgilius tertio Georgico indicat,

Nec veſcas ſalicum frondes, vluámque paluſtrem.

Perdita] Verſus eſt integer apud Varium de morte, vt Macrobius ait libro ſexto Saturnali. *Talis amor*] Apodoſis hæc erat præpoſita, ſed nunc expletur. *Has*] Quintæ ſunt cauſſæ è defoſſis Daphnidis exuuiis: Syllogiſmi ſpecies hîc quædam eſt:

Pignorum fides certa:
At hæ exuuiæ pignora ſunt:
Earum igitur fides certa.

Exuuias] Metaphora eſt à bello, vbi ſpolia hoſtibus detracta, propriè dicuntur exuuiæ. *Perfidus ille*] Periphraſis Daphnidis, quomodo quarto AEneidos ferè eſt,

-arma viri thalamo quæ fixa reliquit
Impius, exuiáſque omnes, lectúmque iugalem
Quo perij, ſuper imponas.

Locus eſt ſecundo Idyllio,

τῦτ' ἀπὸ τᾶς χλαίνας τὸ κράσπεδον ὤλεσε Δέλφις,
ὠ' γὼ νῦν τίλλουσα κατ' ἀγρίῳ ἐν πυρὶ βάλλω.
Hanc à veſte fimbriam conſumpſit Delphis,
Quam ego nunc vellens in acerbum ignem coniicio.

Limine] Idyllio ſecundo,

Θέστυλι, νῦν δὲ λαβοῖσα τὺ τὰ θρόνα ταῦθ' ὑπόμαξον
τᾶς τήνω φλιᾶς καθυπέρτερον.
Theſtyli, nunc capiens tu venena hæc illinc
illius limen ſupra.

Debent] Sententia propoſitionis vtcunque hinc poteſt elici. *Has herbas*] Sextæ cauſſæ ſunt è venenatis herbis, quarum triplex effectus exponitur: Lycanthropia, vmbrarum euocatio, frugum traductio. Idyllio ſecundo talis

lis vis deſcribitur Hippomanes:

ἱππομανὲς, φυτὸν ἐστὶ παρ' Ἀρκάσι, τῷ δ' ἔπι πᾶσαι
καὶ πῶλοι μαίνονται ἀν' ὤρεα, καὶ θοαὶ ἵπποι.
Hippomanes, planta eſt apud Arcades, hanc autem in omnes
Et pulli furiunt in montibus & veloces equæ.

Ponto] Pontus regio Aſiæ: nunc Anatolia Turcorũ eſt, cui Mithrydates olim rex præfuit, vt eius etiã venenis videatur iccirco præfuiſſe. Martialis libro quinto,

Perfecit poto Mithrydates ſæpe veneno,
Toxica ne poſſent ſæua nocere ſibi.

de Ponto rurſus primo Georgico,

-viroſaque Pontus
Caſtorea-

Et Plinius aconitum herbam præſentiſſimi veneni apud Heracleam Ponti gigni ait libri viceſimi ſeptimi capite ſecundo. Pontus interpreti cuidam inſula eſt: Tu hanc interpretationẽ conſiderabis. *Ponto*] in medio, & Ponto in fine eſt epanodos. *Lupum*] de fabula luporum in homines conuerſorum Plinius libri octaui capite viceſimo ſecundo ita ſcribit: Homines in lupos conuerti, ruſúmque reſtitui falſum eſſe cõfidenter æſtimare debemus, aut credere omnia, quę tot ſeculis fabuloſa comperimus: vnde tamen iſta vulgo infixa ſit fama, in tantum, vt in maledictis verſipelles habeant, indicabitur: Euanthes, inter authores Gręciæ non ſpretus, tradit Arcadas ſcribere ex gente Antei cuiuſdam ſorte familia electum ad ſtagnum quoddam regionis eius duci, veſtitúque in quercu ſuſpenſo tranare, atque abire in deſerta, transfigurarique in lupum: & cum cæteris eiuſdem generis congregari per annos nouem: quo in tempore ſi homine ſe abſtinuerint, reuerti ad idem ſtagnum, & cùm tranauerint, effigiem recipere ad priſtinum habitum addito nouem annorum ſenio: additque Fabius eandem recipere veſtem. Mirum eſt quò procedat Græca credulitas. Nullum tam impudens mendacium eſt, vt teſte careat. Hæc ille. Lycanthropia autem mor-

bus eſt melancholicus,quo qui afficiuntur, λυκάνθρωποι dicuntur: lupos enim imitantur, in quos ſe conuerſos putant: noctu exilientes,& ad diem vſque inter ſepulchra diuerſantes:eorum præpallet facies,oculi areſcũt, ſitibundi,tibiis ex impactione crebra ἀνιάτως, id eſt, citra medelam vlceroſis:indẽ & λυκάονες appellãtur,Cœlius libri decimi quarti capite quadrageſimo quinto.

Animas] Animas euocari non ſolùm Homerus author eſt vndecimo Odyſſeæ, ſed ſacra Regũ hiſtoria,vbi per mulierem Pythone afflatam Saul, animam Samuelis euocat, ab eáque impendentem ſibi cladem cognoſcit.

Meſſes] Metonymia eſt pro frugibus,de quibus in legibus duodecim tabularum, Qui fruges excantaſſet,vt Plinius libri viceſimi octaui capite ſecundo,

Nemo alienam ſegetem pellexeris.

Huc Plinij illud libri decimi octaui capite ſexto ſit operæ pretium addidiſſe: Nequeo mihi temperare quo minus vnum exemplum antiquitatis afferã, ex quo intelligi poſſit, apud populum etiam de culturis agendi morem fuiſſe,qualiter defendi ſoliti ſint illi viri: Caius Furius Creſinus è ſeruitute liberatus, cùm in paruo admodũ agello largiores multo fructus perciperet,quàm ex ampliſſimis vicinitas,in inuidia magna erat,ceu fruges alienas pelliceret veneficiis: quamobrem à Spurio Albio Curuli die dicta metuens damnationem, cùm in ſuffragium tribus oporteret ire, inſtrumentũ ruſticum omne in forum attulit,& adduxit filiam validam,atque vt ait Piſo,bene curatam ac veſtitam, ferramenta egregiè facta, graues ligones, vomeres ponderoſos, boues ſaturos.Poſtea dixit,Veneficia mea,Quirites,hęc ſunt: nec poſſum vobis oſtendere,aut in forum adducere lucubrationes,vigiliáſque,& ſudores: Omnium ſentẽtiis abſolutus itaque eſt. *Per cineres*] Poſtea incantationis eſt cauſſa è cineribus: ſpecies enim fuit incantationis πυρομαντία:cuius exemplum eſt in vita Ciceronis apud Plutarchum:nam cùm Cicero de ſuppliciis coniuratorum ſolicitus eſſet:tum inter ſacra domeſtica ab ara ſacrorum

crorum cùm iampridem ſopitus ignis eſſet, è cineribus ac fomentorum reliquiis longa & pura quidem flamma ſubitò emicuit: cæteris itaque perterrefactis, virgines veſtales mox iuſsêre Terentiam virum conuenire, iuberéque vt pro patria non dubitaret ea perficere quæ cogitaret, ceu præſens Dea ingens lumen ad illius gloriam ſalutémque polliceretur. *Ne reſpexeris*] Nam deos inuitos reſpexiſſe, calamitoſum fuit: ſic Tireſias cùm Dianam reſpexiſſet, oculis priuatus eſt: & Eurydicæ præceptum erat ne reſpiceret: Denique Lothi vxor, cùm Dei ſpreto mãdato reſpexiſſet, verſa eſt in ſtatuam ſalis, vt eſt decimonono capite Geneſeos: & id nimirum eſt anteà quod diximus in illo verſu,

ſatis eſt potuiſſe videri.

Aſpice] proponitur euentus incantationis duplex: ignis flamma, & latratus canis. *Hylax*] Canis eſt fictum nomẽ, ſicut apud Ouidium tertio Metamorphoſeos hylactor,

et acutæ vocis hylactor:

à verbo Græco ὑλάω vel ὑλακτέω, latro: & tale eſt in ſecundo Idyllio,

θέστυλι ταὶ κύνες ἄμμιν ἀνὰ πόλιν ὠρύονται.

Theſtyl., canes nobis per ciuitatem latrant.

An qui] Addubitatio eſt, qua tamen videtur infringi fides incantationum, tanquam incantamenta ſint tantùm ſomnia: & prouerbiũ hîc eſſe Seruius indicat, quod Græcis eſt ἑαυτῷ ὀνειροπολεῖν, ſibiipſi ſomnia interpretari. *Parcite*] Concluditur Alpheſibœi φαρμακεύτρια, vt Damonis querimonia concluſa eſt,

Deſine Mænalios iam deſine tibia verſus.

ECLOGA NONA.
Mœris.

Lycidas. *Mœris.*

LY. *QVò te Mœri pedes? an, quò via ducit, in vrbem?*
MOE. *O Lycida, viui peruenimus, aduena noſtri*
(Quod nunquam veriti ſumus) vt poſſeſſor agelli
Diceret: Hæc mea ſunt, veteres migrate coloni.
Nunc victi, triſtes (quoniam ſors omnia verſat)
Hos illi (quod nec bene vertat) mittimus hædos.
LY. *Certè equidem audieram, quà ſe ſubducere colles*
Incipiunt, mollíque iugum demittere cliuo,
Vſq; ad aquam, & veteris iam fracta cacumina fagi,
Omnia carminibus veſtrum ſeruaſſe Menalcam.
MOE. *Audieras, & fama fuit: ſed carmina tantùm*
Noſtra valent Lycida, tela inter Martia, quantùm
Chaonias dicunt aquila veniente columbas.
Quòd niſi me quacunque nouas incidere lites
Antè ſiniſtra caua monuiſſet ab ilice cornix,
Nec tuus hic Mœris, nec viueret ipſe Menalcas.
LY. *Heu cadit in quenquam tantum ſcelus? heu tua nobis*
Penè ſimul tecum ſolatia rapta Menalca?
Quis caneret Nymphas? quis humum florẽtibus herbis
Spargeret? aut viridi fontes induceret vmbra?
Vel quæ ſublegi tacitus tibi carmina nuper,
Cùm te ad delicias ferres Amaryllida noſtras?
Tityre dum redeo (breuis eſt via) paſce capellas:
Et potum paſtas age Tityre: & inter agendum,

Occurſare

Occurſare capro (cornu ferit ille) caueto.
Imò hæc, quæ Varo, necdum perfecta canebat: MOE.
Vare tuum nomen (ſuperet modò Mantua nobis:
Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ)
Cantantes ſublimè ferent ad ſydera cygni.
Sic tua Cyrnæas fugiant examina taxos: LY.
Sic cytiſo paſtæ diſtentent vbera vaccæ.
Incipe ſi quid habes: & me fecêre poëtam
Pierides: ſunt & mihi carmina: me quoque dicunt
Vatem paſtores: ſed non ego credulus illis.
Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinna
Digna, ſed argutos inter ſtrepere anſer olores.
Id quidem ago, & tacitus, Lycida mecum ipſe voluto, MOE.
Si valeam meminiſſe, neque eſt ignobile carmen.
Huc ades ô Galatea: quis eſt nam ludus in vndis?
Hîc ver purpureum: varios hîc flumina circum
Fundit humus flores: hîc candida populus antro
Imminet: & lentæ texunt vmbracula vites.
Hûc ades: inſani feriant ſine littora fluctus.
Quid? quæ te pura ſolùm ſub nocte canentem LY.
Audieram? numeros memini, ſi verba tenerem.
Daphni quid antiquos ſignorum ſuſpicis ortus? MOE.
Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum:
Aſtrum, quo ſegetes gauderent frugibus, & quo
Duceret apricis in collibus vua colorem.
Inſere Daphni pyros, carpent tua poma nepotes.
Omnia fert ætas, animum quoque: ſæpe ego longos
Cantando puerum memini me condere ſoles:
Nunc oblita mihi tot carmina, vox quoque Mœrim
Iam fugit ipſa. lupi Mœrim vidêre priores.

Sed tamen iſta ſatis referet tibi ſæpè Menalcas.
Cauſando noſtros in longum ducis amores.

LY. *Et nunc omne tibi ſtratum ſilet æquor: & omnes,*
Aſpice, ventoſi ceciderunt murmuris auræ:
Hinc adeò media eſt nobis via: nanque ſepulchrum
Incipit apparere Bianoris: hìc, vbi denſas
Agricolæ ſtringunt frondes, hìc Mœri canamus
Hîc hœdos depone, tamen veniemus in vrbem,
Aut ſi nox pluuiam ne colligat antè veremur,
Cantantes licet vſque (minus via lædet) eamus.
Cantantes vt eamus, ego hoc te faſce leuabo.

MOE. *Deſine plura puer: & quod nunc inſtat, agamus.*
Carmina tum melius, cùm venerit ipſe, canemus.

IN NONAM ECLOGAM.

ECLOGA nona hunc ferè ſyllogiſmum continet:

Indignum eſt Virgilium agris expelli, & vexari:
At id factum eſt:
Indignum igitur.

Ad aſſumptionis vim præcedit querimonia iniuriæ Virgilio factæ. *Quò te*] Occaſio eclogæ ſumitur è Mœri procuratore Virgilii, deferente hœdos ad Arrium ſeu Milonem Toronem, vt Probus appellat, centurionem, à quo Virgilius eiectus & penè interemptus fuerat: è ſeptimo Idyllio eſt:

Σιμιχίδα, πᾶ δὴ τὺ μεσαμέριον πόδας ἕλκεις;
Simichida, quò iam tu in meridie pedes trahis?

Et 13. Idyl. — ὁ δ' ᾇ πόδες ἄγον, ἐχώρει
μαινόμενος.
— *Hic autem quò pedes ducebant, ibat*
furens.

O Lyci

O Lycida] Prima pars aſſumptionis, quòd Virgilius ſit agris eiectus: vbi diſſimile eſt: Nunquam videbatur vt eiiceremur agris, at eiecti ſumus. Eſt autem Lycida viatoris nomen ex Idyllio ſeptimo. *Hæc mea*] Proſopopœia. *Nunc victi*] Antapodoſis efficiente cauſſa confirmatur. *Triſtes*] Sic Bremius Sulpitio aurum appendenti & roganti cur enſem vnà cum baltheo exutum lancibus apponeret. Quid enim aliud (inquit) niſi dolor victis? *Sors*] Et certè in armis militum virtus, locorum opportunitas, ſociorum auxilia, claſſes, cõmeatus multùm iuuant: maximam verò partem, quaſi ſuo iure ſibi fortuna vẽdicat, & quicquid eſt proſperè geſtum, id penè omne ducit ſuum, ait Cicero pro Marco Marcello: & illud eſt apud Terentium, *Omnium rerum viciſſitudo.*

Quod nec bene vertat] Imprecatio eſt, cui contraria illa bonæ precationis formula, Bonum ſit, vt ſequente ecloga, item fœlix fauſtúmque ſit. *Certè*] Prolepſis velut è diſſentaneis, ad aſſumptionis illuſtrationem, quod Virgilius dicatur agrum ſuum ſeruaſſe. *Qua ſe*] Topographia eſt agri Virgiliani è ſuis Finibus, monte, Mincio, fago: qualis ecloga prima attingitur.

Menalcam] Quintilianus libri octaui capite ſexto allegoriam hîc efficit ſine vlla tranſlatione: Hoc enim loco (ait) præter nomen, cætera propriis decisa ſunt verbis: verùm non paſtor Menalcas, ſed Virgilius eſt intelligendus. Hæc ille: In quo allegoriam facit, labitur: eſt enim ſola per ſimilitudinem quandã Metaphora in verbo, Menalcas. *Audieras*] Solutio prolepſeos, vbi cõceditur argumentum, ſed eius concluſio negatur, ídque parium collatione declaratur. *Chaonias*] Chaonia regio eſt Epiri, vbi quondã in ſylua Dodonea colũbæ dicũtur humana voce oracula reddidiſſe: ideóque collationem hanc Seruius de auguriis interpretatur, quia maiora ſunt in aquilis, in colũbis minora. At præſtat intelligere de virtute aquilæ ſupra colũbas excellente: quæ Æneidos vndecimo, cõparatione illa declaratur, de Camilla filium Enni longiſſimè viribus ſuperante:

Quam facilè accipiter ſaxo ſacer ales ab alto
Conſequitur pennis ſublimem in nube columbam,
Comprenſámque tenet, pedibúſque euiſcerat vncis,
Iam cruor & vulſæ labuntur ab æthere pennæ.

Quod niſi] Additur ad agri amiſſionem vitæ periculũ. *Ante*] Hic verſus defendit illum ſimilem ecloga prima,

Sæpe ſiniſtra caua prædixit ab ilice cornix:

Qui tamen à criticis vt adulterinus confoditur.

Heu] Propoſitio ſyllogiſmi ſequitur: Indignũ eſt Virgilium ſic affici. *Heu heu*] Exclamatio eſt & anaphora, & apoſtrophe ad Menalcam. *Quis*] Anaphora vbi eſt periphraſis bucolici carminis, ex rebus ei ſubiectis.

Quis humum ſpargeret] pro humum ſparſam caneret? qualis ecloga ſexta oratio fuit,

Phaëthontiadas muſco circundat amaræ
corticis,

Pro, canit Phaëthontiadas circundatas muſco. Idyllio decimonono,

τίς ποτὶ σᾷ σύριγγι μελίσδεται ὦ τριπόθατε;
τίς δ' ἐπὶ τεῖς καλάμοις θάσει στόμα; τίς θρασὺς οὕτως;
Quis ad tuam fiſtulam canit ô optatiſsime?
Quis autem in tuis arundinibus ponet os? quis audax ſic?

Tityre] Variorum Menalcæ carminum inductio longa ſequitur, ſed ferè abruptorum: vt ſi quis ad variam & excellentem Maronis poëſim laudandum recitaret varios ex Bucolicis, Georgicis, AEneide locos imperfectos: In primo Bucolica ſpecies. Locus eſt è tertio Idyllio,

Τίτυρ' ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμένε, βόσκε τὰς αἶγας,
καὶ ποτὶ τὰν κράναν ἄγε Τίτυρε, καὶ τὸν ἐνόρχαν,
τὸν λιβυκὸν κνάκωνα φυλάσσεο, μή τυ κορύψῃ,
Tityre, michi pulchrè dilecte, paſce capellas,
Et ad fontem age Tityre, & coleatum
Illum Libycum album obſerua, ne te cornu feriat.

Tityre autem in principio & fine eſt epanalepſis.

Cornu ferit] Sic ecloga tertia:

--paſcite taurum

Iam

Iam cornu petat & pedibus qui ſpargat arenam.

Imò] Secundum carmen ſuperiore maius, quo Varus laudatur, de quo fuit ecloga ſexta,

-Siquis tamen hæc quoque ſi quis
Captus amore leget, te noſtræ Vare myricæ,
Te nemus omne canet.

Vare] Apoſtrophe. *Mantua*] in fine & principio, eſt anadiploſis: tametſi non eſt prius omnino in fine.

Væ] Exclamatio. *Cremonæ*] Quæ partes Bruti & Caſſij ſecuta, agros ideo amiſerat. *Cygni*] ſcribitur Græcè κύκνος, & interdum Latine cycnos, Latinè eſt olor, vt paulò pòſt,

-ſed argutos inter ſtrepere anſer olores:

Hîc autem Metaphorâ poëtas ſignificat, propter ſimilitudinem cantus & numinis: Poëtarum enim deus eſt Apollo, idémque cygnorum: de quo ſic prima Tuſculana Cicero: Itaque commemorat, vt cygni, qui non ſine cauſſa Apollini conſecrati ſunt, ſed quod ab eo habere diuinationem videantur, quia prouidētes quid in morte boni ſit, cum cantu & voluptate moriantur: hæc Cicero. Dicitur autem cygnus mortem præſentiens ſuauiſſimè canere, eóque illud Martialis ſpectat:

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cygnus funeris ipſe ſui.

Plinius tamen, libri decimi capite viceſimo tertio, id deridet. Olorum (inquit) morte narratur flebilis cantus, falſus, vt arbitror aliquot experimentis: ſed cygnus hîc per metaphoram poëtas ſignificat, quomodo dixit Horatius dè Pindaro quarto Carminum,

Multa Dircæum leuat aura cygnum.

Sydera] Tales iam metaphoræ fuerunt,

Ipſi lætitia voces ad ſydera iactant *Intonſi montes,*
Ecloga quinta: & ibidem,

· Daphnis ego in ſyluis hinc vſque ad ſydera notus.

Sublime] Eáque ſcuta quæ fuerant ſublimè fixa, ſunt humi inuenta, Cicero de Diuinatione. Idem, Nihil mea intereſt humíne an ſublimè putreſcam: pri-

ma Tuſculana Cato de re Ruſtica ſublimiter dixit capite ſeptuageſimo. Item Columella libri decimioctaui capite vndecimo. *Sic tua*] Secundum carmen, vbi primùm comparatio eſt duorum ſimilium.

Cyrnæas] Cyrne inſula eſt Thyrrheni maris, Corſica Latinis eſt. *Taxos*] Taxus arbor eſt, quam Seſtius ſcribit Smilacem à Græcis vocari, & eſſe in Arcadia tam præſentis veneni, vt ſi qui ſub ea dormiant, cibúmue capiant, moriantur. Sunt qui & taxica hinc appellata dicunt venena, quæ nunc toxica dicimus, quibus ſagittæ tinguntur: repertum eſt innoxium fieri, ſi in ipſam clauus æreus adigatur, Plinius libri decimi ſexti capite decimo. Seruius ait arborem eſſe venenatam, quà paſtæ apes, mel amariſſimum faciant: quod Elegiarum primo Ouidius indicat.

Melle ſub infami Corſica miſit apis.

Diſtenta] ecloga quarta fuit,

Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ Vbera.

Incipe] Prouocatio eſt ex quadã pactione alterni carminis, cuius & cauſſa & effectus & teſtimonium profertur. *Incipe*] Sic ecloga quinta,

Incipe Mopſe prior, ſi quos aut Phyllidis ignes.

Pierides] De quibus ecloga tertia,

Pierides vitulam lectori paſcite veſtro.

& 6. *Pergite Pierides-*

& 8. *Dicite vierides-*

Mihi me] Polyptoton. *Poëtam*] Locus eſt ex Idyllio 7.

καὶ γὰρ ἐγὼ Μοισᾶν καπυρὸν στόμα, κἠμὲ λέγοντι
πάντες ἀοιδὸν ἄριστον, ἐγὼ δέ τις οὐ ταχυπειθής,
οὐ Δᾶν, οὐ γάρ πω κατ᾽ ἐμὸν νόον, οὔτε τὸν ἐσθλὸν
Σικελίδαν νίκημι τὸν ἐκ Σάμω, οὔτε Φιλητᾶν,
ἀείδων, βάτραχος δὲ ποτ᾽ ἀκρίδας ὥς τις ἐρίσδω.

Etenim muſarum ego dulce os, & me dicunt
Omnes cantorẽ optimum: ego autẽ aliquis non credulus.
Non per terram: nondum enim ſecundum meam mentem
neque bonum
Sicelidem vicerim illum ex Samo, neque Philetam,

Canens

Canens:rana autem ad locuſtas tanquam aliqua contẽdo.

Sed non ego] Correctio confirmata teſtimonio.

Varo] Seruius legit hîc Vario, & Varium illum ſuperiorem, belli ducem facit, hunc poëtam, à quo nempe Virgilij ſint opera correcta iuſſu Auguſti, vt anteà iam dictum eſt. *cinna*] Scripſit hic poëta poëma Smyrnam nomine, de quo Catullus:

Smyrna mei Cinnæ, nonam poſt denique meſſem
Quàm cœpta eſt nonam quæ edita poſt hyemem.

Sed *argutos*] Diſſimile. *Anſer*] Senſum duplicẽ ὁμωνυμία facit: vel enim anſer auis inter aues olores, vel Anſer poëta laudator Antonij triumuiri. De quo ſic Ouidius,

cinna quoque huic comes, Cinnáque procacior Anſer.

De quo eſt in Philippica decimatertia: De Phalerno anſeres depellantur: agrum enim illum Antonius Anſeri poëtæ donauerat, Idyllio ſeptimo,

βάτραχος δὲ ποτ' ἀκρίδας ὥς τις ἐρίσδω.
Rana autem ad locuſtas tanquam aliqua contendo.

Id quidem] Attentio ad proximum carmen ex adiunctis, præſenti commentatione & excellentia rei.

Huc ades] Quartum carmen quo Galatea inuitatur è mari ad terram ex adiunctis vtriuſque. Quale eſt Idyllio quinto,

ΛΑ. Α'λλὰ γὰρ ἕρφ' ὧδ' ἕρπε, καὶ ὕστερα βωκολιαξεῖς.
ΚΟ. οὐκ ἑρψῶ τήνει, τούτῳ δρύες, ὧδε κύπειρος,
ὧδε καλὸν βομβεῦντι ποτὶ σμάνεσσι μέλισσαι.
ἔνθ' ὕδατος ψυχρῶ κρᾶναι δύο, ταὶ δ' ἐπὶ δένδρῳ
ὄρνιχες λαλαγεῦντι, καὶ ἁ σκιὰ οὐδὲν ὁμοία
τᾷ παρά τιν· βάλλει δὲ καὶ ἁ πίτυς ὑψόθε κώνως.

LA. *Sed enim veni huc, veni & poſtremò bucolicè canes.*
CO. *Non veniam illuc, hîc quercus, hîc cyperus,*
Hîc bene reſonant in aluearibus apes:
Hîc aquæ frigidæ fontes duo: in arbore autem
Aues canunt, & vmbra nihil ſimilis
Iſti apud te: mittit autem & pinus ſupernè nucleos.

Item Idyllio vndecimo,

ἀλλ' ἀφίκευ τὺ ποτὶ μὲ, καὶ ἑξεῖς οὐδὲν ἔλασσον.
τὰν γλαυκὰν δὲ θάλασσαν ἔα ποτὶ χέρσον ὀρεχθεῖν.
Ἅδιον ἐν τ' ὤντρῳ παρ' ἐμὶν τὰν νύκτα διαξεῖς.
ἐντὶ δάφναι τηνεῖ, ἐντὶ ῥαδιναὶ κυπάριοσοι,
ἐντὶ μέλας κισσὸς, ἐντ' ἄμπελος ἁ γλυκύκαρπος·
ἐντὶ ψυχρὸν ὕδωρ, τό μοι ἁ πολυδένδρεος Αἴτνα
λευκᾶς ἐκ χιόνος ποτὸν ἀμβρόσιον προΐητι.
τίς κὰν τῶνδε θάλασσαν ἔχειν, ἢ κύμαθ' ἕλοιτο;
Sed veni tu ad me, & habebis nihil minus:
Glaucum autem mare ſine in terram extendi,
Dulciter in antro apud me noctem deges:
Sunt lauri illic, ſunt tenues cypariſſi,
Eſt nigra hedera, eſt vinea dulcis fructus,
Eſt frigida aqua, quam mihi arboroſa Aetna
Alba ex niue potum diuinum præmittit.
Quis præ his mare habere vel vndas eligeret?

Talis loci commendatio fuit ecloga prima,
Fortunate ſenex hîc inter flumina nota.
Itẽ 3. *Dicite, quandoquidem in molli conſedimus herba.*
& 5. *Siue ſub incertas zephyris motantibus vmbras.*
Itẽ 7. *Et ſi quid ceſſare potes requieſce ſub vmbra.*

Populus] Populus inter arbores quibus arbuſtatur ager vitibus imprimis amica, vt Plinius libri decimi ſeptimi capite viceſimo. *Quid*] prouocatio ad quintum carmen ex adiunctis temporis. *Numeros*] Numerus rhythmum ſignificat, vt Quintilianus ait libri noni capite tertio, vbi citat hunc verſum. *Daphni*] Quintum carmẽ in laudem Iulij Cęſaris, in cuius ludis funebribus ſtella crinita per ſeptem continuos dies fulſit, exoriens circa vndecimam horam, creditúmque eſt animam eſſe Cæſaris in cœlum recepti, & hac de cauſa ſimulachro eius additur in vertice ſtella. Suetonius in Iulio capite octogeſimo. Eſt autem hîc diſſimilitudo quędam ad meſſem & vindemiam: Non eſt tibi aliquod vetus ſignũ ſpectãdũ, ſed aſtrũ Cæſaris: niſi malis de Auguſto intelligere, cui ſigni cœleſtis locus primo Georgico promittitur,
Anne nouum tardis ſidus te menſibus addas,

Quà locus Erigonem inter Chelaſque ſequentes
Panditur: ipſe tibi iam brachia contrahit ardens
Scorpius, & cæli iuſta plus parte relinquit.

Signorum] Signa ex multis ſtellis conſtant, qualia ſunt toto cœlo quadraginta ſeptẽ ab aſtrologis obſeruata: viginti ſeptẽtrionalia, duodecim in Zodiaco, quindecim meridionalia. Hîc tamẽ videtur pro ſimplici ſtella accipi. *Dionæi*] Dione, mater eſt Veneris, vnde AEneas, à quo Iulus, vnde Cæſar Iulius, vt AEneidos primo,

Iulius à magno demiſſum nomen Iulo.

Aſtrum] græcum eſt, pro ſigno ex multis ſtellis compoſito: hîc pro ſingulari ſtella ſumitur. *Aſtrum Aſtrũ.*] Anadiploſis. *Apricis*] Apricum ἄνευ φρικῆς, ſine horrore, locus ſoli perpetuò obiectus: propriè opponitur opaco. Intereſt inter locos, opaci an aprici, ait in Partitionibus Cicero. Hinc ex ſubiecto per metonymiã dicuntur aues apricæ, primo AEneidos,

- et apricis ſtatio gratiſſima mergis.

Item. *aprici meminiſſe ſenes,*

ait Perſius Satyra quinta. *Duceret colorẽ*] Periphraſis eſt ex adiũctis, pro matureſceret. *Inſere*] Videtur eſſe conſolatio quædã lamẽtationis illius (*Inſere nunc Melibœe pyros* &c.) Ratio ex adiunctis & cauſſis. *Omnia fert*] Omnium rerum viciſſitudo. Lucretius,

- minui rem quámque videmus,
Et quaſi longinquo fluere omnia cernimus æuo,
Ex oculiſque vetuſtatem ſubducere noſtris.

Et Ouidius decimoquinto Metamorphoſeos,

Tempus edax rerum, túque inuidioſa vetuſtas
Omnia deſtruitis.

Sæpe ego] Excuſatio quædam non continuati carminis: Iuuenis multa carmina tenui: nunc oblitus ſum, diſſimilitudo eſt. *Condere*] Hic verſus, ait Valla in Raudenſem, licentiam poëticam oſtendit, qua ego non vterer duntaxat in proſa. Dicerẽ enim ſic: Memini me puerum condidiſſe, ſeu condere ſolitum eſſe: at Vallæ refragantur multa Ciceronis exempla. Memini te mihi Pha-

nçæ cœnã narrare: ad Papyriũ libro nono. Hoc memini dicere, ſexta actione. Iuri ſtudere te memini: primo de legibus. Attamen etiam præterito idem iungit. De comitiis meis & tibi me permiſiſſe memini: libro primo epiſtolarum ad Atticum: Meminiſtis me ita diſtribuiſſe initio cauſſam, pro Amerino. Itaque lapſus eſt hîc Valla. *Soles*] Metonymia pro dies, quia dies eſt menſura ſolaris motus. *Oblita*] paſſiuam ſignificationem hîc notabis, qualis eſt frequens in participiis verborum deponentium. *Vox*] Illuſtratio ex ſimili & eius efficiente cauſſa. *Lupi*] Theocritus Idyllio decimoquarto,

-ὐ φθεγξῆ, λύκον εἶδες,

Non loqueris; lupum vidiſti.

Hinc prouerbium: Lupus in fabula, dicitur, cùm ſuperuenit is de quo loquimur, & nobis ſui præſentia, loquendi facultatem amputat. cauſſa Phyſica eſt: creditur enim luporum viſus eſſe noxius, vocémque homini quẽ priores contemplentur, adimere ad præſens, ait Plinius libri octaui capite viceſimo ſecundo. At ſi lupus ab homine prior viſus fuerit, debilitatur, ait Conſtantinus libri decimiquinti capite primo: vt ἀντιπάθεια hæc ſit mutua. *Cauſſando*] Sextum carmen abruptum, vt ferè ſuperiora. Cauſſari eſt cauſſam dicere. *Silet*] Sic AEneidos primo, *AEquora tuta ſilent,*

Vbi periphraſis eſt Malaciæ ex ſuis efficientibus. Idyllio ſecundo,

ἠνὶ δὲ σιγᾷ μὲν πόντος, σιγῶντι δ' ἀῆται.

Ecce autem ſilet quidem pontus, ſilent autem venti.

A*Equor*] Quid tam planum quàm mare? ex quo etiam æquor illud poëtæ vocant, ait Cicero in Lucullo: vbi ſynecdochen indicat generis pro ſpecie. *Hinc*] Inuitatio eſt ad canendum, aut requieſcendo aut progrediendo: pars vtraque ſuis adiunctis exponitur. *Bianoris*] Bianor qui & Ocnus dicitur, cõdidit Mantuam & nomine Mãtus matris appellauit, vt AEneidos decimo dicitur:

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris
Fatidicæ Mantus, & Thuſci filius amnis:

Qui muros matriſque dedit tibi Mantua nomen.

Simile eſt ſeptimo Idyllio,

> κ'ὄπω τὰν μεσάταν ὁδὸν ἄνυμες, ὐδὲ τὸ σᾶμα
> Α'μῖν τῶ Βρασίλα κατεφαίνετο.
> *Et nundum mediam viam confecimus, neque ſepulchrum*
> *Nobis Bráſilæ apparebat.*

cantantes vt eamus] Idem repetitum initiis, Anaphora eſt. *Vſque*] Pro continenter, continuè Sic à Terẽtio ſumitur in Adelphis. *Quid potui melius? qui hodie vſque os præbui?* Idem à Cicerone ad Cornificium : Mihi quidem curæ erit vſque quid agas. Idyllio ſeptimo,

> Α'λλάγε δὴ, ξυνὰ γὰρ ὁδὸς, ξυνὰ δὲ καὶ ἀώς,
> βωκολιασδώμεσθα· τάχ' ὥτερος ἄλλον ὀνασεῖ.
> *Sed age iam, communis enim via, cõmunis autẽ & dies*
> *canimus fortè alter alterum iuuabit.*

Deſine] Concluſio eclogæ per collationem diſſimilium Negotium noſtrum nunc agamus, aliàs canemus.

Deſine] ſimile illud fuit ecloga quinta,

> *Sed tu deſine plura puer, ſucceſſimus antro.*

ECLOGA DECIMA.
Gallus.

Extremum hunc Arbetuſa mihi concede laborem:
Pauca meo Gallo, ſed quæ legat ipſa Lycoris,
Carmina ſunt dicenda: neget quis carmina Gallo?
Sic tibi cùm fluctus ſubter labère Sicanos,
Doris amara ſuam non intermiſceat vndam.
Incipe, ſollicitos Galli dicamus amores:
Dum tenera attondent ſimæ virgulta capellæ.
Non canimus ſurdis: reſpondent omnia ſyluæ.
Quæ nemora, aut qui vos ſaltus habuère puellæ
Naiades, indigno cùm Gallus amore periret?
Nam neque Parnaſſi vobis iuga, nam neque Pindi

Vlla moram fecêre: neque Aonia Aganippe.
Illum etiam lauri, illum etiam fleuêre myricæ:
Pinifer illum etiam ſola ſub rupe iacentem
Mænalus, & gelidi fleuerunt ſaxa Lycæi.
Stant & oues circũ, noſtri nec pœnitet illas:
Nec te pœniteat pecoris diuine poëta.
Et formoſus oues ad flumina pauit Adonis:
Venit & vpilio: tardi venêre bubulci:
Vuidus hyberna venit de glande Menalcas.
Omnes, vnde amor iſte? rogãt, tibi venit Apollo,
Gallę quid inſanis? inquit: tua cura Lycoris
Pérque niues alium, pérque horrida caſtra ſecuta eſt.
Venit & agreſti capitis Syluanus honore,
Florentes ferulas, & grandia lilia quaſſans:
Pan deus Arcadiæ venit: quem vidimus ipſi,
Sanguineis ebuli baccis, minióque rubentem.
Et quis erit modus? inquit: amor non talia curat:
Nec lachrymis crudelis amor, nec gramina riuis
Nec cytiſo ſaturantur apes, nec fronde capellæ.
Triſtis at ille, tamen cantabitis Arcades, inquit,
Montibus hæc veſtris: ſoli cantare periti
Arcades. ô mihi tum quàm molliter oſſa quieſcant,
Veſtra meos olim ſi fiſtula dicat amores.
Atque vtinam ex vobis vnus, veſtríque fuiſſem
Aut cuſtos gregis, aut maturæ vinitor vuæ.
Certè ſiue mihi Phyllis, ſiue eſſet Amyntas,
Seu quicunque furor (quid tum, ſi fuſcus Amyntas?
Et nigræ violæ ſunt, & vaccinia nigra)
Mecum inter ſalices lenta ſub vite iaceret.
Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas,

Hîc gelidi fontes: hîc mollia prata Lycori,
Hîc nemus: hîc ipſo tecum conſumerer æuo.
Nunc inſanus amor duri me Martis in armis,
Tela inter media, atque aduerſos detinet hoſtes.
Tu procul à patria (nec ſit mihi credere) tantum
Alpinas ah dura niues, & frigora Rheni
Me ſine ſola vides, ah te ne frigora lædant:
Ah tibi ne teneras glacies ſecet aſpera plantas.
Ibo & Chalcideco quæ ſunt mihi condita verſu
Carmina, paſtoris Siculi modulabor auena.
Certum eſt in ſyluis, inter ſpelæa ferarum
Malle pati, tenerı́ſque meos incidere amores.
Arboribus: creſcent illæ, creſcetis amores
Interea mistus luſtrabo Mænala Nymphis:
Aut acres venabor apros, non me vlla vetabunt
Frigora Parthenios canibus circundare ſaltus.
Iam mihi per rupes videor, lucóſque ſonanteis
Ire. libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula: tanquam hæc ſit noſtri medicina furoris:
Aut deus ille malis hominum miteſcere diſcat.
Iam neque Hamadryades rurſus, nec carmina nobis
Ipſa placent: ipſæ rurſus concedite ſyluæ.
Non illum noſtri poſſunt mutare labores,
Nec ſi frigoribus mediis, Hebrúmque bibamus
Sithoniáſque niues hyemis ſubeamus aquoſæ:
Nec ſi cùm moriens alta liber aret in vlmo,
Aethiopum verſemus oues ſub ſydere Cancri.
OMNIA vincit amor: & nos cedamus amori.
Hæc ſat erit diuæ veſtrum ceciniſſe poëtam,
Dum ſedet, & gracili fiſcellam texit hibiſco,

Pierides, vos hæc facietis maxima Gallo:
Gallo, cuius amor tantum mihi creſcit in horas
Quantum vere nouo viridis ſe ſubiicit alnus.
Surgamus, ſolet eſſe grauis cantantibus vmbra:
Iuniperi grauis vmbra: nocent & frugibus vmbræ.
Ite domum ſaturæ, venit Heſperus, ite capellæ.

IN DECIMAM EGLOGAM.

ECloga decima deplorat Galli amores in Cytherida: de quo ſuis ecloga ſexta Partem deplorationis Virgilius perſona ſua ſuſtinet, partem Gallus ipſe. Argumentũ eſt tempore deſcriptę eclogæ antiquius, & antequam Virgilius agros ſuos amiſiſſet, amores hi contigerant.

Extremum] Exorditur ab inuocatione muſæ Theocritiæ, quam per Arethuſam ex ſubiecto nempe ſuo ſignificat: Ita ſe Theocriti diſcipulum profitetur ecloga quarta & ſexta. *Extremum*] Inuocationes quatuor anteà fuerunt: ecloga quarta,

Sicelides Muſæ paulo maiora canamus:

Deinde. 6. *Pergite Pierides, Chromis. &c.*
Item, 7. *Nymphæ, noſter amor Lybethrides, &c.*
Item. 8. *Dicite Pierides, &c.*

Arethuſa] In quarta Syracuſarum parte, quæ inſula dicitur, fons eſt aquæ dulcis, cui nomen Arethuſa eſt, incredibili magnitudine, pleniſſimus piſcium: Qui fluctu totus operiretur, niſi munitione & mole lapidum a mari diſiunctus eſſet. Hæc Cicero ſexta Actione. Per Arethuſam igitur, ſignificat Syracuſanas & Theocritias muſas: nominatur autem Arethuſa primo Idyllio,

-χαῖρ' Ἀρέθοισα,
καὶ ποταμοὶ τοὶ χεῖτε καλὸν κατὰ Θύμβριδος ὕδωρ.
-Vale Arethuſa,
Et fluuij qui funditis pulcham iuxta Thymbridem aquã.

Gallo]

Gallo] In medio & fine Epanodos eſt. *Sic tibi*] Illuſtratio è ſimili: Sic aquas puras à marinis habeas, vt nobis faueбis. *Subterlabêre*] In mirabilibus aquarum, fons hic enumeratur: Alpheus enim fluuius Elidis in Peloponneſo creditur ſubter maria tanto maris interuallo lapſus in Arethuſam erumpere: Quod Plinius libri ſecũdi capite centeſimo tertio teſtatur: Quidã fluuij (ait) odio maris ipſa ſubeunt vada: ſicut Arethuſa fons Syracuſanus, in quo redduntur iacta in alpheum, qui per Olympiam fluens Peloponneſiaco littori infunditur: quod etiam Virgilius tertio AEneidos,

Sicanio prætenta ſinu iacet inſula contra
Plemmyrium vndoſum: nomen dixêre priores
Ortygiam. Alpheum fama eſt huc Elydis amnem
Occultas egiſſe vias ſubter mare: qui nunc
Ore Arethuſa tuo Siculis confunditur vndis.

Ortygia autem Virgilio hîc eſt illa quarta pars Syracuſarũ, quã Cicero vocat inſulam. *Sicanos*] Sicani populi Hiſpaniæ à fluuio Sicore dicti: hi duce Siculo, excluſis Aboriginibus Italiam tenuerũt, ab iiſdem viciſſim poſtea pulſi Siciliam occupauerunt: & ſuo nomine Sicaniã dixerunt. Alij putant à Sicano Cyclopis filio. *Doris*] filia Oceani & Tethyos. hîc per metonymiam pro mari.

Incipe] Propoſitio eſt eclogæ: Cantemus amores Galli. Ratio ex adiunctis otio & attentatione. *Sollicitos*] *Res eſt ſolliciti plena timoris amor*, ait Ouidius epiſtola prima: & Idyllio decimo,

ἀλλὰ καὶ ὤ φρόντισος ἔρως.
Sed inconſideratus amor. Et decimoquarto Idyllio,
χ᾽ ὥ, τι τὸ φάρμακόν ἐστιν ἀμηχανέοντος ἔρωτος;
Et quæ medicina eſt immedicabilis amoris?

Syluæ] Pro Echo, ait Seruius: metonymiam malo pro paſtoribus ſyluarum. *Quæ nemora*] Muſas accuſat veluti negligentes Gallum, cùm tamen ab omnibus defleatur. Diſſimilitudo eſt, cuius propoſitio ſignificat Gallum, ſpretis literarum ſtudiis, in amores tam indignos incidiſſe. Locus eſt ex Idyllio primo.

Semper habet-

Lycæi] Lycæus, mons Arcadiæ Pani ſacer, à quo Lycæa ſacra, quæ Romanis Lupercalia. Lycæi mentio eſt Idyllio primo,

ὦ πὰν πὰν, εἴτ' ἐσσὶ κατ' ὤρεα μακρὰ λυκάιω.

O Pan Pan, *ſiue es iuxta montes longos Lycæi.*

Noſtri] Amantium paſtorum. *Illas*] Sic ecloga quinta,

Non vlli paſtos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boues ad flumina: nulla neque amnem
Libauit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

Nec te] Apoſtrophe per digreſſionem, vbi parium collatio duplex eſt. *Pœnitet pœniteat*] Polyptoton. *Adonis*] Filius Cyniræ regis Cypriorum, & Myrthæ, adamatus à Venere. è Theocrito verſus eſt integer,

ὡραῖος χ' ὤδωνις ἐπεὶ καὶ μᾶλα νομεύει.
Formoſus etiam Adonis quoniam & oues paſcit.

Huius epitaphium mirè deſcribitur viceſimo tertio Idyllio apud Theocritum. *Vpilio*] Pro opilio, ſchemate græco, ait Seruius, vt οὔρεα, οὔλυμπον. pro, ὄρεα, ὄλυμπον. Opilio autem tanquam ouilio, qui oues cuſtodit.

Vuidus] Pinguis ait Seruius: humidus, qui humorem habet extrinſecùs: vuidus qui intus: & eſt hîc periphraſis cuiuſdam porculatoris porcos glande ſaginantis. Locus eſt ex Idyllio primo,

ἦνθον τοὶ βῶται, τοὶ ποιμένες ᾠπόλοι ἦνθον.
πάντες ἀνηρώτων, τί πάθοι κακόν; ἦνθ' ὁ πρίηπος,
κ' ἤφα, δάφνι τάλαν, τί τὺ τάκεαι;
Venerunt bubulci, paſtores, caprarij venerunt.
Omnes interrogabant quod paſſus fuerit malum:
venit Priapus,
Et dixit, Daphni miſer, quid tu liqueſcis?

Omnes] Finguntur decori gratia paſtores interrogare, & Apollo diuinare: Dij autem ad conſolandum Galli amorem aduocantur, qui & ipſi amatores fuerunt. Daphnes enim amator Apollo fuit.

Galle] Proſopopœia Apollinis conſolantis Gallum. Ratio eſt è remotione finis. Cruciaris propter Lycorim

at alium diligit. Simile eſt Idyllio primo,

ἦνθ' Ἑρμᾶς πρᾶτιστος ἀπ' ὤρεος, εἶπε δὲ, Δάφνι,
τίς τυ κατατρύχει; τίνος ὦ 'γαθὲ, τόσσον ἐρᾶσαι;
Venit Mercurius primus à monte, dixit autem, Daphni,
Quis te conſumit? cuius ô bone tantum amore caperis?

Sed Paulò pòſt apertius,

-ἦνθ' ὁ Πρίηπος,
κ' ἤφα, Δάφνι τάλαν, τί τὺ τάκεαι; ἁ δέ τε κώρα
πάσας ἀνὰ κράνας, πάντ' ἄλσεα ποσσὶ φορεῖται.
-Venit Priapus,
Et ait, Daphni miſer, quid tu liqueſcis? puella autem
Omnem per fontem, omnia nemora pedibus fertur.

Tua cura] Sic anteà ecloga prima,

Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes.

Alium] Marcum Antonium in Gallia præfectum interpretes hîc appellant: *Syluanus*] Syluanus ſyluarum deus ſuis adiunctis hîc deſcribitur. Quin, ait Plinius libri duodecimi capite primo, & Syluanos Faunóſque & dearum genera ſyluis, ac ſua numina, tanquam & cœlo attributa, credimus. Syluanus autem Cypariſſum amauit. *Ferulas*] Ferula arbor eſt Plinio libri viceſimi quarti capite primo: duóque eius genera, aliis herba, ideóque Clearchus dixit eſſe lignum, & non lignum: fœniculo ſimilis foliis & caule, niſi quòd caulem habet multò altiorem & craſſiorem: profert enim ſæpe ternûm cubitorũ: & folia ipſa aſperiora & latiora, vt Dioſcorides ait libri tertij capite 73. Naſcitur locis calidis & tranſmarinis: olim magiſtri manus puerorum ferula cædebant: de quo Martialis decimoquarto libro,

Inuiſæ nimiùm pueris, grataéque magiſtris,
Clara Prometheo munere, ligna ſumus.

Et item ſexto,

Ferulæque triſtes, ſceptra pædagogorum.

Hinc Prouerbij ſpecies apud Iuuenalẽ Satyra prima,

Et nos ergo, manum ferulæ ſubduximus,

pro, literas opera magiſtrorum didicimus. Dioſcoridis interpres putat hodie prorſus eſſe incognitam:

At

at viſitur in hortis Pariſienſibus, qualis à Dioſcoride deſcribitur.

Grandia lilia] de his ecloga ſecunda,

-Tibi lilia plenis-

Ecce ferunt nymphæ calathis-

Nullis florum excelſitas maior, ait Plinius libri viceſimiprimi capite quinto. *Pan*] Pan etiam ſuis adiunctis notatur. Hic autem Syringa nympham amauit.

Deus Arcadiæ] Sic ecloga quarta,

Pan etiam Arcadia mecum ſi iudice certet,

Pan etiam Arcadia dicat ſe iudice victum.

Sanguineis] Sic ecloga ſexta eadem metaphora fuit,

Sanguineis frontem moris, & tempora pingit.

Minióque] Minium terra eſt rubra, qua colore rubro aliquid tingitur: Minium in voluminum quoque ſcriptura vſurpatur, clarioréſque literas, vel in auro, vel in marmore etiamin ſepulchris facit, Plinius libri triceſimi tertij capite ſeptimo. *Ecquis*] Conſolatur Gallum, vt Apollo. Ratio conſolationis item à finis remotione tribus ſimilibus declarati.

Amor] In ſententiæ principio & fine, eſt Epanalepſis.

Gramina] Gramen interdum ſpecies eſt herbæ, qua nulla eſt gratior iumentis, ſiue ſit viridis, ſiue fœno ſiccata, ait Plinius libri viceſimi quarti capite decimonono. Vulgo ſanguinaria dicitur, de qua Dioſcorides libri quarti capite viceſimo ſexto. Aliquãdo generaliter omnem herbam ſignificat, vt hîc. *Cytiſo*] De quo ecloga prima, ad illum verſum,

Florentem cytiſum, & ſalices carpetis amaras.

Apes nunquam deerunt cytiſi pabulo contingente, ait Plinius libri decimi tertij capite viceſimo, quarto.

Triſtis] Adhuc Virgilij perſona fuit: Galli tanquã Virgilio reſpõdentis perſona deinceps agitur, ſeipſum primùm conſolantis, ex adiunctis,

Si Arcades cantent amores Galli, fortunatus erit:

At primum:

Secundum igitur.

Aſſumptio præcedit ex efficiendi facultate. Arcades ferè initio eſt & omnino in fine, Epanalepſis igitur eſt.

O mihi] Propoſitio eſt per exclamationem.

Molliter] Veteres crediderunt defunctis gratum, ſi leui & molli ſepulchro tegerentur. Quod Iuuenalis indicat Satyra ſeptima,

Dij maiorum vmbris tenuem, & ſine pondere terram,
Spirantéſque crocos, & in vrna perpetuum ver:
Qui præceptorem ſancti voluere parentis
Eſſe loco.

Et Dido apud Ouidium,

Aſcaniúſque ſuos fœliciter impleat annos,
Et patris Anchiſæ molliter oſſa cubent.

Item Martialis,

Sit tibi terra leuis, mollíque tegaris arena.

Fiſtula] Metonymia. *Atque vtinam*] Optatio eſt, qua deteſtatur ſortem vitæ ſuæ, & ruſticum optat ſe fuiſſe: Ratio ex adiũctis amoribus, & eorum deliciis ſumitur.

Phyllis, Amyntas] Synecdochæ ſunt pro puella, puero, ſicut eloga quarta,

Alter erit tum Tiphys, &c.

Quid tum] Prolepſis ex adiuncto colore, quæ paribus refutatur *Nigræ*] Locus è decimo Idyllio,

καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ, καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος·
ἀλλ' ἔμπας ἐν τοῖς στεφάνοις τὰ πρῶτα λέγονται.
Et viola nigra eſt, & ſcriptus hyacinthus:
Sed tamen in coronis imprimis leguntur.

Et quiddam tale illud ecloga ſecunda,

Quamuis ille niger, quamuis tu candidus eſſes:
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Lenta] Id epitheton iam fuit ecloga tertia,

Lenta quibus torno facili ſuperaddita vitis.

Item 9. *Et lentæ texunt vmbracula vites.*

Idyl. 10. χρύσεοι ἀμφότεροι κ' ἀνεκείμεθα τᾷ Ἀφροδίτᾳ,
τὼς αὐλὼς μὲν ἔχοισα, καὶ ἢ ῥόδον, ἢ τύγε μᾶλλον.
Aurei ambo recumberemus Veneri,

Fiſtula

Fiſtulas quidem habens, vel roſam, vel tu malum.

Hic gelidi] Apoſtrophe ad Lycorim, quam reuocare nititur, ex diſſimilibus locorum adiunctis, quale fuit argumentum nona ecloga:

Huc ades, ô Galatea, quis eſt nam ludus in vndis?

Ipſo æuo] id eſt, in perpetuum: æuum enim eſt ſempiternum tempus, & propriè refertur ad deos:

Romulus in cœlo cum diis immortalibus æuum

Degit, ait prima Tuſculana Ennius.

Nunc inſanus] Antapodoſis, quòd Lycoris inter arma longinqua verſetur, in horridis locis. *Me*] meos amores intellige, per metonymiam ſubiecti pro adiuncto.

Alpinas] Alpes ſunt montes quibus Italia à Germania Galliáque diuiditur. Alpes quaſi Albes, quia perpetuo niuium candore albeſcant. *Rheni*] Rhenus fluuius ex Alpibus Lepontiis duobus diuerſis riuis confluens, Galliam tandem Germaniámque diuidit, & in Oceanum Septentrionalem labitur. *Ah*] Exclamatio quæ deinde repetita verſuum principiis facit anaphoram.

Ibo] Decem proximis verſibus proponit ſibi Gallus amoris remedium, ex contrariis ſtudiis, ac primùm è poëtico ſtudio. *Calchidico*] Calchis ciuitas eſt Eubœæ, vnde Euphorion elegiarum ſcriptor, quem Gallus tranſtulit: Calchidem Ariſtoteles Athenis profugit, ibíque interiit. *Modulabor auena*] Ecloga prima fuit,

Syluestrem tenui muſam meditaris auena.

Et 6. *Agreſtem tenui meditabor arundine muſam.*

Illuſtratio eſt ex ſubiecta carminis Bucolici materia.

Spelæa] σπήλαιον, Græcum eſt, quòd Latinis ſpelunca.

Arboribus] vel dicit ſermone ſimplici, re vera in arboribus amantum nomina inſcribere, vel mandare verſibus Bucolicis, quorum materia eſt de teneris arboribus & ſyluis: vt vnà cum verſuum fama, creſcat amantium quoque fama. *Interea*] Secundum remedium eſt è peregrinatione & nouis amoribus. *Mænala*] Mænalus, mons Arcadiæ: de quo anteà: in plurali autem Mænala, vt hîc. *Aut acres*] Tertium remedium è venatio-

ne,illuſtratum ſubiectis, adiunctis,cauſſis. *Parthenios*] Parthenius, mons eſt Arcadiæ, dictus ἀπὸ τῶν παρθενῶν à virginibus, quæ illic venari conſueuerant.

Lucóſque] Et hic alter eſt lucus ſine cōſecratione,contra Seruium,vt ecloga octaua,

Per nemora atque altos quærendo bucula lucos.

Partho] Parthi ſagittarij in bellis contra Romanos quàm excelluerint,Romanæ docent hiſtoriæ. *Cydonia*] Cydonia ciuitas Cretæ, vna è tribus eximia, in qua calami ſunt ſpiculis aptiſſimi. *Cornu*] Metonymia pro arcu corneo. *Spicula*] Spiculum eſt lācea breuis ſeu telum, ferro triangulo , vnciarum nouem,haſtili pedum quinque & ſemis.Vide Vegetium:Interdum ſagitta eſt, vt hîc : aliàs etiam ferrum vel aculeus ſagittæ.

Tanquam] Proponitur eorum ſtudiorum finis,amoris nempe remedium. *Furoris*] Synecdoche generis pro ſpecie:vt paulò antè, *Seu quicunque furor. Deus ille*] Periphraſis amoris. *Iam neque*] Repudiat inconſtanter ea tria remedia, & illis propoſitum finem tollit.

Hamadryades] Nymphæ,quæ ſimul cum arboribus & oriuntur,& intereunt,vt iam dixi. *Syluæ*] Metonymia ſubiecti pro adiuncta venatione. *Nec ſi*] Diſſimilitudo eôdem ſpectās:Quamuis ſummis & caloribus & frigoribus te exerceas, amorem tamen nequaquam vinces.

Hebrum] Fluuium Thraciæ : Synecdoche totius pro parte,nempe vt ecloga prima,

Aut Ararim Parthus bibet,aut Germania Tigrim.

Sithoniáſque] Sithon mons Thraciæ,cuius accolæ Sithonij dicuntur,vnde Orpheus, ſicut antè dictum eſt ecloga quarta. *Moriens*] Periphraſis eſt ſummi æſtus, ex eius effectis. *Cancri*] vbi ſol eſt altiſſimus,& proximus nobis,ideóq; calidiſſimus. Metonymia efficientis cauſſæ pro effecto.Idyllio autem ſeptimo imprecatio quædam eſt de frigoribus hyemis,& caloribus æſtatis : vnde videtur hic locus aſſumptus,

εἴης δ' Ἠδωνῶν μὲν ἐν ὤρεσι χείματι μέσσῳ,
Ἕβρον πὰρ' ποταμὸν τετραμμένος,ἐγγύθεν ἄρκτου:

ἐν δὲ

ἐν δὲ θέρει πυμάτοισι παρ᾽ Αἰθιόπεσσι νομεύοις.
Sis quidem Edonorum in montibus hyeme media,
Hebrum apud fluuium verſus, prope Septentrionem:
In autem æſtate vltimos apud Aethiopas paſcas.

Omnia vincit amor] Concluditur hoc enthymemate Galli proſopopœia: Deinceps enim Virgilius loquitur, & hanc eclogam concludit apoſtrophe & inuocatione ad muſas, vt hoc carmen licet tenue, Gallo tamen maximum efficiat. *Amor*] Pentemimeris eſt, poſt duos pedes breuem pro longa vſurpans. *Amor amori*] Polyptoton. *Diuæ*] Synecdoche generis pro ſpecie: muſas enim inuocat. *Gracili*] periphraſis carminis tenui filo deducti. *Fiſcellam*] Fiſcus vnde fiſcina vel fiſcella diminuitur, ſparteum eſt vtenſile, ait Aſconius, vel certè vimineum, vt calathi & quaſilli. *Hibiſco*] Hibiſcus hîc videtur pro iunco aut vimine accipi. *Pierides*]

Pierides vitulam lectori paſcite veſtro. fuit ecloga tertia.
-Pergite Pierides- fuit ſexta.
Dicite Pierides- fuit octaua.

Gallo Gallo] In fine ſententiæ præcedentis, & initio ſequentis, eſt anadiploſis. *Quantum*] Declaratur amor in Gallum parium collatione. *Se ſubiicit*] id eſt creſcit.

Surgamus] Ratio claudendæ eclogæ ſumitur ex adiuncto loci detrimento: vbi ſyllogiſmi ſpecies eſt quædam:

Vmbra grauis eſt cantantibus:
Hîc Iuniperi eſt vmbra:
Grauis igitur.

Nocent] Ratio propoſitionis è maioribus. Hic autem verſus deeſt in quibuſdam exemplaribus. Quòd autem noceant frugibus vmbræ, videbis primo Georgico ad illum locum,

Officiunt, aut vmbra nocet &c.

Plinius libri triceſimi ſeptimi capite 12. Non faſtidienda hæc quoque ſcientia, atque non in vltimis ponenda, quando, quibúſque ſatis vmbra aut nutrix aut nouerca

eſt. Idem libri viceſimi quarti capite octauo, ait Iuniperi accenſæ odore ſerpentes fugari. *Ite*] Permiſſio hæc concluſionis eſt loco: vbi & Epanodos eadem quæ fuit ecloga prima,

Ite meæ quondam fœlix pecus, ite capellæ.

Item ſeptima,

Ite domum ſaturi, ſi quis pudor, ite iuuenci.

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pagina 19. linea 23. familiaris pag. 32. 17. cytiſum 41. 21. ſepes 42. 10. frondes 46. 30. *δ' ἄμμιν* 52. 8. Leonhartus 56. 10. Mermnonis 60. 19. ouis 63. 25. eruo 64. 31. Quod 67. 25. inquirentis 71. 31. carminis 73, 10. ſibilando 78. 10. gregem 27. modij 80. 14. Idyllio 82. 2. paulatim 17. pratis 83. 1. Orphei Calliopea 84. 26. Naſcente 38. errantium 85. 3. religionis 87. 4. *Colocaſia*] 91. 1. *Parcæ*] 24. palus 93. 33. (qui) in quo ait, 105. 13. ſuperorum 106. 18. Acarneus, 19. Tityrus 107. 10. palus 110. 20. Menalcas 113. 1. Clamaſſent, 18. Perducant 120. 29. crudelis 122. 37. alumnum 123. 33. Eoos, 125. 26. Niſi filia, quæ 126. 13 Ithacus 127. 8. lauris 130. 20. arundineis 22. leuis 133. 34. Ad optati 141. 15. ceperat 143. 6. procumbit 146. 26. *ἐπιμελώδημα*, 26. *μελίσδεται*, 33. *Calamos*] 147. 9. lenonem 20. limen 23. calycis, 148. 13. *ματρὶ* 22. miſeræ, 150. 28. incolumem 37. pyra 152. 21. *φίλτρα*; 157. 37. mor- 161. 20. ſolum 163. 6. Brennus 165. 31. cycnus 171. 5. nondum 173. 9. Chalcidico 12. amores 174. 34. pulchram 135. 25. attentione, 176. 9. Neque 22. Daphnim 24. Daphni, 27. eſt 28. *βίων*.